



БАССЕЙН  
ПОДОЛІ  
ПОДОЛІ

БАССЕЙН

БАССЕЙН

БАССЕЙН

ILLVSTRISSIMO DOMINO  
D. IOANNI  
ZOLKIEVVSKI  
A ZOLKIEVV,  
STANISLAI  
EXERCITVVM REGNI POLONIAE  
SVMMI PRÆFECTI  
FILIO  
PALATINIDÆ KYOWIENSI,  
CAPITANEO RHVBIESZOWIENSI, &c



LIQVAM eruditio*nis* & inge-  
nii partem EPISTOLAS esse,  
Illustrissime DOMINE, osten-  
dere ego ausus sum: aliquam  
item Reipublicæ & Militiæ,  
omnium seculorum felicitas  
edocuit. Curiam & castra etiam Stilus occu-  
pat; & ubicumque res geruntur aut consultan-  
tur, Scribitur. Possis Mercurio Sagum pariter  
& Togam tradere, idémque numen rebus &  
sermoni præficere. Etenim quò vox non pene-  
trat, Epistolæ diriguntur, velut alis instructæ:  
ubi lingua silet, manus loquitur, sermonis &  
ipsa dives. Interdum quoque, cùm spiculis gla-  
diis-  
(.:.) 2

diisque obstacula inveniunt, pugnant calami,  
& sine tumultu pacem, sine sanguine victori-  
am moliuntur. Sed mea hæc Scriptio, & tran-  
quilla Stili Epistolici opera, et si nec belli consi-  
lia, nec curiæ curas, nec Regum Principumq;  
secreta disputet; altiori tamen Patrocinio, id  
est tuo, stare debuit, tuo item favore suffragio-  
que hominibus, qui jam sunt, & mox erunt,  
commendari. Eruditionem tracto, Scholam  
loquor, muneris & familiæ negotia narro, &  
quæ Sapientiæ velut limitibus septa. Sed quid:  
facio, quod ubique locum habet; imò facio,  
quod legere omnibus jucundum sit, tibi verò  
etiam opportunum. Confer singula: Eruditi-  
onem discis, Scholam æstimas, PVTEANV MA  
mas, & quæ ille Sapientiæ caussâ publicè, quâ  
voce, quâ stilo promit. Quia PALÆS TRAM  
quoque BONÆ MENTIS generoso affectu no-  
stræ voluisti juventuti commendare; quantum  
exigere ab indole tuâ Minerva potuit, Litteris,  
imò mihi tribuisti. Sic verò quasi satis domi ad  
vota non properares, cùm pari ingenio & in-  
dustriâ complexus es, quicquid ne senes qui-  
dem omnes assequuntur; foris, & potissimum  
in Belgico hoc Athenæo, non tam discere,  
quâm experiri, me Mystagogos, voluisti, quan-  
tum didicisses; firmare & roborare, quæ felici  
fundamine struxeras. Nam viris summis & in  
omni scientiarum genere clarissimis quia par-  
tim

tim Sainoscii, partim Cracoviæ usus es, omnia  
patere divino ingenio tuo potuere, quæ labo-  
riosa industria recludit. Accessit SIMONIS SI-  
MONIDÆ Directio; hominis, an Semonis? qua-  
lelm mehercle præ Chirone Achilles olim dele-  
gisset. Atque his subsidiis felix, eam solummo-  
do industriæ nostræ operam reliquisti, quam  
supplere judicii maturitas poterat. Quis eras,  
& quo animo humiles jam curas adolescens su-  
peraras, illa tua virilis toga, vix biennii usu fa-  
miliaris, loquebatur; titulis honorib[us]que à  
Serenissimo Invictissimóque Rege SIGISMUN-  
DO exornata. Æstimavit ille in Filio etiam Pa-  
tris nunquam intermorituras Virtutes: & ut  
plures STANISLAOS Reipublicæ promitteret,  
Illustrissimam indolem tuam glorioso favoris  
stimulo concitavit. Ergo fasces te RHVBIES-  
ZOVIENSSES cingunt, & in Musarum tamen  
studiis florem vitæ occupas: te populi suspici-  
unt, & communi adolescentiæ lege Litteris  
operaris. Planè, ut compendio laudatissimos  
hos conatus exprimam, animum summis jam  
parem rebus, ad ætatem revocas; Virtutis fru-  
etum ad angustias annorum. Sed quid? ignem  
alis, & concludis: lumen accendis, & premis:  
tanquam discendi adhuc necessitas urgeat, fa-  
cis quæ alii, cùm majora possis; facturus adul-  
tior, quæ pauci imitentur. Sic te consiliis suis  
imperióque Incomparabilis prorsus Hieros, tu-

us Pater habet: quem ut scire te ostendas, audi; ut mereri, imitaris. Novit verò ille, nullum ingenium sine doctrinâ summum esse; nullam ætatem meliorem Litteris: nam quantum ges- sit, tantum quoque ex eruditâ Antiquitate observavit. rerum maximarum momenta Palladis consilio dirigi: ad exempla Græca & Ro- mana animum composuit, Fortunæ velut ma- nu injectâ. domi militiaeque librorum usum valere: historiam omnem perlustravit, & ro- bustâ adhuc memoriâ possidet. Hoc agit igitur, ut cùm ipse maximus sit, majorem se ta- men Filium quandoq; relinquat Reipublicæ, fortem, prudentem, doctum, facundum, om- nibusque florentissimæ Fortunæ, & absolutis- simæ Virtutis subsidiis atque ornamentis in- structum. Ac sanè intersumma & feliciter vi- Ætura facinora, hoc strictius Æternitati jungi- tur, quod te non minùs Patriæ, quam sibi ge- nuerit: ut quantum ipse caussâ omnium præ- stat, à te sperare publica libertas possit. Sed & tuæ magnitudinis pars est, sic natum esse, ut di- velli à charitate Reipublicæ non possis; ei fili- um esse & heredem, quem Patriæ Patrem Sar- matarum incolimitas appellat. Respice & in- tuere, qui te genuit; & quantum Regi atque Reipublicæ debeas, expressum habes: imò re- spice; & quicquid fortissimi ab omni ævo Im- pératores dignum gloriâ patrârunt, in unâ vel-

ut

ut imagine conclusisti. Itaque non immerito  
huc te voco; & ut omnium Virtutum compen-  
dium videoas , non alium præfigere in exem-  
plum debeo, quām qui omnibus te videtur pro-  
duxisse. Iam nec satis , quem tu Patrem appell-  
as, summum esse; quem unum potes admirari,  
gessisse & gerere maxima ; nisi par te Virtus  
Gloriæ consignet. Quantum ille perfecit, tibi  
incumbit: ut Parentem jactes, & tantū sustine-  
as nomen ; paria tibi præstanda sunt. Non ego  
hīc commemooro , quæ bella incredibili celeri-  
tate perfecit , quos populos devicit, quos mo-  
tus pacavit, quos exercitus fudit , quas urbes  
cepit, quos triumphos duxit , dubium , manu  
an consilio fortior? ductu an auspicio felicior?  
Nullam Fortunæ vim esse, suâ Virtute edocuit.  
Et quorsum commemorem ? quicquid nobis  
Fama publica explicuit, ignorare tu non potes:  
nec ego referre, quæ in parte etiam vidisti, cùm  
in castris , & sub pugnantis, ut sic dicam , vin-  
centisque Parentis oculis, Rebus pariter Litte-  
risque adolesceres. Vincti Monarchæ, & victa  
Moscovia loquitur , quām feliciter summam  
Exercituum Præfecturam ZOLKIEVVSKI ad-  
ministret: nec ideò minor , quod post SAMO s-  
CIVM, Virum maximum æternumque bellavit.  
Etenim produxit Sarmatiæ signa per latissimas  
regiones ; & ubique victor , terrorem urbibus  
populisque incussum , in gloriam Regis felicissi-  
mum

mum rerum gestarum eventum conferens. Rex  
ipse, ad hoc natus, & à Deo velut constitutus,  
ut plura imperia Poloniae adjiciat, tanta Pa-  
rentis tui molimina extulit; &, ut in conspe-  
ctu Reipublicæ, atque adeò Orbis universi es-  
sent, publicis Comitiis laudavit, postquam si-  
stisti sibi Tyrannos, & Regio apertóque simul Vi-  
ctorem curru, etsi renitentem, jussisset invehi:  
sic verè magnus, fortis, invictus, quòd Ducis  
virtute Fortunam ostenderet; imò dignus tan-  
tâ felicitate, quòd & suis triumphum impera-  
ret. Excepit igitur tanti honoris radium tuus  
ille Pater; iterúmque meruit, quia recusārat.  
Excepit, inquam, &, ut nihil sibi adscriberet,  
in Serenissimum S I G I S M V N D V M, velut ori-  
entem Imperiorum Solem regessit. Hæc cùm  
ita sint, quid ni divinus ille tibi surgat animus,  
ut generofâ quâdam æmulatione exprimas de-  
cus, quod potes usurpare? Ad maxima quoque  
facinora hanc indolem pietas vocat: quantum  
tu quandoque geres, paternæ accedet Famæ;  
& geres, quantum bonarum Litterarum, pru-  
dentiæ, sapientiæ subsidiis molieris. Nemo re-  
ctè Bellum administravit, nisi scierit; nemo  
Rempublicam, nisi adierit: scire, adire tu cœ-  
pisti, quia eas tibi Artes familiares reddere,  
quas ut ex me quoq; audires, tanto itinere æsti-  
masti. Missus ab Illustrissimo Parente, cùm tot  
urbes perlustrasses, quot Germania ubique in

ad-

adventum tuum, tanti lēta conspectu hospitis,  
recluserat, Belgicas has oras penetraſti, Lovan-  
ium venisti; quia ſic ille jusserat, à quo miſſus  
eras; quia ſic volebas ipſe, qui miſſus, Salutatu-  
rus Sereniffimos Belgicæ Principes, Iuſtratu-  
rus tanti tamq; diuturni belli veſtigia, & hanc  
in iþfa etiam tempeſtate tranquillam Grudi-  
orum Minervam, tot Virorum Doctrinā in-  
clytam, & ab iþſis Academiæ incunabulis Iu-  
uentuti Sarmatæ frequentatam. Libens repe-  
to, venisti: ſed tibi quid potiſſimū tribuere  
Belgæ omnes debeant, ab iþſis Principibus po-  
tuerunt diſcere: peculiari humanitate exce-  
ptus es; & quid, niſi Vrbi huic commendatus,  
in quā ſedem figeres, & ſtudioſum aliquot an-  
norum otium pulcherrimè oecupares? Hoc  
etiam cum voluptate itero: fixisti, occupas. me  
verò familiari etiam affeſtu tuum feciſti, à quo  
Paciſ Bellique disciplinam, & universam deni-  
que Reipublicæ bene administradæ rationem  
haurires: ſi tamen haurire videaris, quam ab a-  
liis, ut dixi, accepisti. Sed agis omnia, nequid  
plenam rerum cognitionem impeditat: atque  
iþſum quoque PETRVM CASTELLIVM, Viſum  
Doctiſſimum, & Græcarum Litterarum Pro-  
fessorem Publicum, Medici nuper auetum ti-  
tulo, contubernio tibi jungis; ut domi quoque  
docentis vocem audias, & prompta doctrinæ  
auxilia ſint, in ſermone, mensa, remiſſione fa-

(†)

pien-

pientiæ quedam condimenta. Ad me igitur quod attinet, veneror Nobilitatis tuę Genium: & ne solius vocis operā utilis sim, Stilo testatum desiderium meum venio, & EPISTO-LARVM APOPHORETA ista Illustrissimo nomini tuo inscriptum. Erit & hīc fortassis, quod ad Rempublicam aut Militiam spectet, quia Sapientiam doceo: sin minūs, quod agi & scribi in Academiā solet: quōdque ille agere & scribere, quem Doctorem elegisti. Nam velut semina hinc inde spargo melioris doctrinæ; quæ collecta, & felici mandata terræ, seduli animi germen producant, & affectum Virtutis. Vide igitur; & sic cogita, Si non istas, Epistolas certe & in Republicā, & in Militiā locum sibi vindicare; & quodcumque stilo argumentum obnoxium esse. Ut summam consilii mei comprehendam, testari apud Posteros volui, te mihi Amicum, in Lovaniensi hac Vrbe floridis annis, sed robustâ maturitate reluxisse. Ita salve, & Parentem exime. Scripsi xiii. Kalend. Aprilis. ∞. Ioc. XII.

ERYCIUS PUTEANVS,

STIRPI GLORIÆ Q. TUE  
Aeterno cultu devotus.

IN-

## INDEX

## APOPHORETORVM.

## A.

- A**DRIANO Baexo, *Collegii Buslidiani Praesidi* xx.  
*Adriano Marselario* lxi.  
*Alberto Struzzio, Viro Amico* xlvi.  
*Aloysio Vereycken, Audientiario* xxxiv.  
*Alphonso A Cueva, apud Venetos Legato Regio* xciv.  
*Antonio Olgiato, Bibliothecæ Ambrosianæ Prefecto* ix.  
*Antonio Sanderio* v.  
*Ascanio Persio V. C. Græca linguae Professori* xcii.  
*Auberto Miræo, V. C. Canonicus Antuerpiensi* lxiii.  
*Augustino Galaminio, Ordinis S. Dominici Generali, postea S. R. E. Cardinali* xviii. lxvi.

## B.

- Balthasar Collemio Magnaramo* xc.  
*Balthas. Robiano F.* lxxxvi.  
*Benedicto Soffago, ex Alumnis*

*Bibliothecæ Ambrosianæ.*  
 lxxxvii.

## C.

- Carolo Duci Croyaco & Arschotano* xciii.  
*Christoph. Hompesio* xxxviii.  
*Christophoro van Etten V.N.* xlvi.  
*Cornelio Bredæ suo* iii.  
 lxxiii. lxxxii. c.  
*Cornelio Lumineo A Marca, V.R. & Amico* lix. lxvii.

## D.

- Danieli Heinsio, V.C. & omnis Eruditionis exemplo* xxxix.  
*Davidi Lindano suo* ii.

## E.

- Everardo Schelæo* xxxvi.

## F.

- Frederico Cardinali Borromeo, Archiepiscopo Mediolanensi* i. lxxvii. lxxxiii.  
 (†) 2 *Fre-*

Frederico Marselario suo,

XCV.

Florentio Vander-Haerio.

XXVIII.

Francisco Bartholino suo.

LXXXVIII.

Francisco Buschereto, Episco-  
po Namurensi XI. XXXII.

Francisco Kinschotio, Iuris-  
consulto Cl. Finantiarum  
Graphiaro LV

Francisco Sweertio VIII.  
LVII.

G.

Gerardo Arnemienſi, Societatis  
Iesu, Preceptoris suo LXXIV.

Guido Bentivolio, Nuncio A-  
postolico, Archiepiscopo  
Rhodiensi XCVIII.

Guilielmo Cripio Secundo  
XXIV. LXVIII.

Guilielmo Fabricio, S.T. Do-  
ctori, Censori Librorum,  
XCVII.

H.

Henrico Farnesio V.C. XXXIII.

Henrico van Etten, V.A. An-  
nonae Militaris summo Pre-  
fecto LXXVIII.

Huberto Audeiantio, VI.

I.

Iacobo Rolandio, Iuris consulto  
Clarissimo XLII.

Ioachimo Trognesio LXIX.

Ioanni Ambroſio Biffio suo,  
XCVI.

Ioanni Baptista Sacco, V. C.  
Senatus Mediolanensi à se-  
cretis, XVI. XXI. XXXI.  
XLV. LXX. LXXXI.

Ioanni Baptista Vertua, Me-  
dicinae Doctori LXII.

Ioanni Bembdeno suo, Medi-  
cinae Doctori VII. XXIX.

Ioanni Christophoro Flavio,  
LVI.

Ioanni Hollantio, suavissimo  
Amico, XXVI.

Ioanni Robertio, Societatis Ie-  
su Collegii Paterbornensis  
Rectori, I.

Ioanni Roderico Georgio XV.

Ioanni Seurio, V. Amico, IV.

Ioanni Vasao, V.R. XCII.

Julio Salinerio V.C. XIX.

Iusto Harduino, XXII.

L.

Laurentio Beyerlinkio, Cano-  
nico Antuerpiensi, XVII.

Leonardo De Taſſis, Baroni  
S.R. Imperii, LI.

Lucio

*Lucio Terentio Meriano, Auditori quondam suo* xxx.  
*Ludovico Lopesgatto, Viro per illustris Baroni De Vor-*  
miselle l*iv.*  
*Ludovico Septalio, V.C. xxv.*  
l*xxvi.*

M.

*M. Antonio Bonciario, V.C. &*  
*Italiæ Homero* l*xiv.*  
*Maximiliano Vrientio* ix.  
*Maximiliano Plouvierio V.N.*  
*& Amico,* x*ii.* xl. l*iii.*  
l*xxxiv.* l*xxxix.*  
*Michaëli Lanzio V.A. Confili*  
*lii Italici Regenti.* l*xxi.*

N.

*Nicolao Burgundio, Auditori*  
*suo, & Palæstritæ Bonæ*  
*Mentis,* l*xxii.*  
*Nicolao Damantio, V.A. Bra*  
*bantæ Cancellario,* l*viii.*  
*Nicolao De VVeert, Consilia*  
*rio Brabantæ,* x*iv.*

P.

*Paulo Mariae, & Io. Baptista*  
*Montorfanis,* l*iii.*

*Petro Cantonio, Iurisconsulto*  
xcix.  
*Petro Enriqueſio Gusmano, Co*  
miti Fontano, xxvii. xxxvii.  
*Petro Mantuanus,* xliv.  
*Philippo Colino suo,* x*iii.*  
*Philippo VVannemakero suo,*  
*Ordinis S. Domipici,* l*xxxix.*

R.

*Raphaëli Montorfano suo,* x.  
xxiii. xxxv. l*xv.*  
*Remaclo Robertio, V.N. &*  
*Amico, Annonæ Militaris*  
*Provisor,* xl*iii.* l*xxxv.*  
*Rugerio Tritonio, Abbatii Pi*  
*naroliensi,* l*xxxv.*

S.

*Soncino, & Alexandro Siccis*  
*Aragonii, Patri & Filio,*  
xli.

V.

*Vido Mazentio,* xl*ix.*  
*Vitaliano Vicecomiti Borro*  
*mæo,* xl*viii.*

W.

*VVesenbecio,* l*xxxx.*

M. TVL

M. TULLI CICERONIS

E P I S T O L A

A D

C V R I O N E M ,

E Libro II.

**E**PSTOLARVM genera multa esse non ignoras : sed unum illud certissimum, cuius causâ inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Hujus generis litteras à me profectò non exspectas: domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores, & nuntios. In meis autem rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare, & jocosum : alterum severum, & grave. Vt ro me minùs deceat uti, non intelligo. Iocérne tecum per litteras? civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? quid est, quod possit graviter à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Republicâ? atqui in hoc genere hæc mea causa est, ut neq; ea, quæ nunc sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar eā clausulâ, quâ soleo; teque ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi gravis adversaria constituta, & parata, incredibilis quædam exspectatio: quam tu unâ re facillimè vinces, si hoc statueris, QVARVM LAUDVM gloriam adamaris, quibus artibus ex Laudes comparantur, in iis esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tuâ sponte satis incitatum esse confiderem: & hoc quicquid attigi, non feci inflammâdi tui caussâ, sed testificandiamoris mei. Vale.

EIVS-

EIVSDEM CICERONIS

A D

P A P I R I V M P Æ T V M

E Libro IX.

**A**IN' tandem? insanire tibi videris, quòd imitare verborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses: cum verò etiam vincas, me prius irrideas, quam te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud à Trabeâ, sed potius ἀπόφθεγμα meum. Veruntamen quid tibi ego videor in epistolis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut cōcioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas, eas tenues, agimus subtilius: Capitis, aut Famae, scilicet ornatius. Epistolas verò, quotidianis verbis texere solemus.

---

Nequa remora sit, L E C T O R , in antecessum hoc age, & Pag. 7.  
lin. 15. scribe Nam pro Non. Pag. 9. lin. 31. Bembdene. Pag. 27. lin.  
25. ἐκλεκτική. Pag. 55. lin. 19. Distinctionum. Pag. 92. lin. 6. ut pro &c.



APPRO-

---

## APPROBATIO.

**H**Anc E. PvTEANI, V. Cl. Epistolarum Centuriam, quod haud parum Voluptatis atque Utilitatis studio Lectori videatur allatura, dignissimam censeo, quæ prælo committatur.

**G**VILIELMVS FABRICIVS, Noviomagus, Apostolicus & Archiducalis Librorum Censor.

---

Cum Privilegio BELGICÆ PRINCIPVM  
ad Octennium.

*Signat.*

*Buschere.*

*Ery-*

# EPISTOLARVM APOPHORETA.

EPISTOLA I. *Mediolanum.*

*Illustriſſimo & Reverendissimo*

FREDERICO CARDINALI BORROMÆO,  
*Archiepiscopo Mediolanensi.*



Ihil in omnibus ridentis Fortunæ blanditiis latius unquam putavi, quam Bonorum Magnorumque amicitia frui. Postquam verò singularem affectum quendam incredibilis Humanitas tua in me direxit, eisdem Rex mihi visus sum. Nimurum, ut non sine imbre venti aliqui spirant: ita & liberalissimus ille animus tuus continuis me beneficiis irroravit. Mitto jam vetera, sed æternæ memoriæ dicanda: hoc nunc in primis æstimare debeo, quo tuum me esse publicè testaris, & inter eos censes, qui ingenii operam Bibliothecæ impendant. Accipisse MONTORFANVS se Numisma scripsit, transmittendum; & sermones simul explicuit, vel præ auro æstimandos. O me beatum igitur, quem Amor simul & Honor à tanto Viro, Antistite, Principe, complectitur! Ignis iste merus est qui urit, stimulus qui urget, ne ingratus videar. Numisma ipsum quoties oculis usurpabo, agnoscam beneficium, & simul quid debeam, publicè ostendam. Sed profiteri obligatio-

A

nem

nem meam tam luculento signo suave erit , quod censem  
sebunt omnes, nō potuisse nisi à maximo Viro prove-  
nire. Vnde si caūsam quoque examinent non vulga-  
ris beneficij, & litteras amare incipient , & te earum  
Patronum unicum vindicémque venerari. Gratiam  
igitur scribo, & pectus meum magno tuo Nominis de-  
voveo. Pectus inquam, quod excolere porrò pergam,  
quia insignire voluisti. Nam quemadmodum cordis  
figurā bullam antiqui expresserunt , ut homines eā  
in primis parte corporis excellerent , quā viverent , id  
est, virtutes sequerentur: ita omnino signum istud ac-  
cipiam & gestabo , Doctrinæ & Virtutis stimulum.  
Hanc enim utramque tu Ill. Domine, mortales omnes,  
sed præcipue eos doces , quos dignos Amore & fami-  
iliaritate tuâ habes ; dignos Bibliothecâ , id est, Famâ.  
Ego porrò adnitar , ne ignavus in illo virorum nume-  
ro sim , qui è tuo fonte derivare in Rempublicam  
Christianam litterarum monumenta incipiunt. Et  
quoniam Palæstram B O N Æ M E N T I S h̄ic institui,  
præstantissima juventutis nostræ ingenia mecum in-  
laudes æterni instituti tui conspirabunt. Vale Opti-  
me Maxime Patrone.

E P I S T O L A . II. *Teneramondam.*

DAVIDI LINDANO suo.

**E**go te nō amem, ô verum Musarum & Apollinis  
germen? Imò leve Amoris verbum est: observo  
& suspicio. Ingenii tui floridam amoenitatem  
Phyllis indicat, divinitatem Oratio. Macte dulcedire  
illâ stili, macte robore: delectamus, eruditur. Ete-  
nim

nim & castam carminis lasciviam, & facundam syn-  
tagmatis doctrinam comparatione quadam admirata  
sum: alteram ab Apolline ipso, alteram à Minervâ  
profluxisse. Tu verò Apollo, tu Minerva, id est, ho-  
mine altior, re ipsâ amoenior, Phyllidem pariter, ho-  
minemque nobis describis. Quid amplius dicam? In  
lucem publicam profer hos flores, hos fructus, & æ-  
ternitatis laudem præmiumque admitte. Sic magis et-  
iam amare incipiam, imò observare & suspicere.  
Vale tu jam meus inter paucos, & me tuum ama.  
Lovanii, vi. Eid. Maii. m. loc. viii.

EPISTOLA III. *Mediolanum.*CORNELIO BREDAE *suo. S.D.*

**P**Ervenisti: securus sum. Sed Italia quî initio isto  
placet? quî viri, mores, cælum? Vt Belgæ vivi-  
mus, & frigore quodam animi septi sumus, in  
novum terrarum orbem delatus videare; sed elegan-  
tem illum, ingenii deliciisque florentem. In rebus,  
ritibus, atque ipso sermone virilia omnia reperies, &  
in reliquias priscam majestatem. Hoc cogita etiam, in  
tam felici agro, spinas sentesque morum pullulare:  
magnis virtutibus via quoque adhærere, luci um-  
bram. Sperne, fuge, quæ noxia sunt, quæ menti aut  
corporilabem creant. Ad virtutis doctrinæque æter-  
nitatem te indoles tua vocat: perge; & ego direxi, se-  
quere. Versari inter homines jam incipis, tuo arbitrio  
vitam capessere: fac quod facis: optima puta, quæ  
honesta sunt. Ex Epicuri hortulis hanc vocem audis:  
*Σπεδαίως ζῆγε ἀριστον.* Sic voluptatis magister docuit, ut

in solâ honestate voluptatem censem, & beatâ vitâ summam. Sed an ego de ingenio tuo dubito? absit. Hortari & excitare mihi suave, quem amo. Non sine curâ affectus est. Itaque animum integrum serva in quocumque statu: ingenium cole & exsere: *dutorum* omnem à vultu & sermone profliga. Audere debes, & cùm modestia permittit, aliquid sibi tribuere. Hac libertate censemur ingenium, ut frontem faciemque, sed cum virtutis colore exporrigas, & latentes cum candore elegantias in occasione promas. Virum te natura fecit; tu te præsta. Nonne vides, quantum ille ibi frontis surmat, quem & originis nævus & conditionis humilitas infra te abjecit? vincis ingenio, vincis eruditione, vincis animo: tu sic te gere, ut intelligat se vinci. Modestiam discet, si tu audacior; & quantum ignoret fatebitur, si tu ostendas quantum didiceris. Itulum est videri velle & superbire, cùm vana tantum persuasio animum inflat: ineptum quoque, videri nolle, cùm lucem & laudem stipatae pectoris dores merentur. Vale, & continuò scribe. Lovanii, viii. Eid. Novemb. 150. vii.

## EPISTOLA IV.

IOANNI SEVRIO V. Amico S.

**A**MICUM ecce te scribo, mi SEVRI, fragrantî humanitatis aurâ excitatus, quam epistola tua spirat. Dulci, sed honesto Amore ebrius à lectione recessi: multeam animo voluptatem hausi, sed hæsum. Verbo dicam; scriptionis isto mero incalui, & ab imagine amare cœpi, nō fallaci. Tu ipse pictor, & sine

& sine umbrâ, sine fuso lineæ sunt, non lucentes tan-tum candore nativo, sed spirantes. Accessit FERRE-RIVS noster, integerrimus animi tui interpres, quem sic amo, ut & amicos ejus velim. Hem! etiam SANDERIUM meum, & ipsum illum bonorum Patronum Præsidémque nominas? faces subjicis igni jam arenti. Alter delicium, alter præsidium meum est: & in te utrumque repperisse video. Verus amicus amico de-licium & præsidium est, aut esse cupit, cùm res & oc-casio urgent, & fortuna permittit. Erro: neque enim Fortunæ obnoxius Amor noster erit: quippe nec ab illâ ortus. Amabimus, aut honesti esse desinemus, id est, vivere. Atque hoc virtutis decretum est, quod no-strum honesto & perenni Amore faciemus. Vana & enervis flamma est, quæ facili incendio desflagrat: qui sine robore ignis, fugitivus est: de affectu pariter cen-se, vitalem esse, si animis, ut ita dicam, æneis concep-tus fuerit, ac virtute robustis. Hunc sumamus, fovea-mus, vitâ moribûsque honesti simus, ut amici simus: sic amici, ut æterni simus. Experiemur autem, in eâ-dem arâ Virtutem, Amorem, Æternitatem coli. Vale Clarissime vir, & Amice. Lovanii, VII. Eid. Ianuarij, 1500. ix. qui feliciter & ex voto annus decurrat, Amicitiaz nostraz auspicio insignis.

## EPISTOLA V.

*Bruxellam.*

ANTONIO SANDERIO.

**I**Am verò te respexit mitior fortuna, mi Sanderi, & è nubibus pectus explicabis quæ premebant. V-tere igitur munere isto Dei: orna Spartam, quam

cepisti, rectamque puerorum indolem ante omnia a more honesti imbue. Facile, qui virtutem diligit, bonus erit: qui litteras, doctus. Ordo etiam servandus, ut laborum gradus sint, & paullatim proficiant, qui instituuntur. Sed tu industriâ tuâ omnia poteris: nec morosa in fertili solo seges erit. Patris verò laudes quām lātis oculis legi! atque utinam *τοῖς πᾶσιν θυμὸς ἐν σιδερῷ γένοιτο!* Plerique magnanimitatem, &

----- *incoētum generoso pectus honesto*

habent: sed minùs tamen videntur erga Musarum has elegantias affecti. Meliorem in hoc viro ignem vivere, è sparsa Famæ lumine pridem didici: nunc distinctius è tuis litteris. Alius verò esse nō poterat, qui satis non putavit filios habere, nisi eruditos redderet; imò ut liberiūs ingenium tuum æstimem, aliis esse non poterat, qui te doctorem elegit, operā non illiberaliter cōductā. Plures sunt tam stultâ avaritiâ obfessi, ut insigniter sibi paternum implesse officium videantur, si adsumperunt, quibus quām minimum solvant. Nimirum ut filios negligant, malunt pusillum profundere; cū liberos fortunis postponāt. Hanc stultiā Aristippus olim lepido sermonis aculco pupugit. nam à Patre quodam interrogatus, quam *επει τοῦ τέλους πάτερ* mercedem posceret, *Mille*, inquit, *Denarios*. At ille *Nimium, nimium*, exclamat: *tāti τελ mancipium emam.* Quid Philosophus? Licet, ait, *Et sic duo habiturus mācipia, Et quod genuisse gloriari poteris, Et quod emisse: alterū sanguine, alterū æretium.* Sed generosissimus ille Herostuus, ut filios amet, Magistrum æstimat; lucrum putans, si quid hīc insumat. Tu verò mi S A N D E R I, *μιθόδορην* tuum insigni studio coles: Pueros tibi commissos erudies, ut habeas, quibus inniti quādoque vitæ tuæ ratio possit.

In

In litteris si proficient, hoc simul intelligent, quid reprehendere Præceptoris suo debeant. Ergo ~~epistola~~ perge, & me quoque amare: cui ut nihil debeas, dignum te domo, in quam receptus es, & Hero, à quo receptus, præstabis. Sed huic annon **L A N V G I N E M** tuam (sic non invenustè videbar carmina appellare) illam Musarum favore floridam consecrabis? Ego suaserim. Typi, quos tuus petet, parati erunt ac mittentur. Vale Lovanii, xiv. Kal. Ianuarii, 100. ix. Per illuſtri Hero tuo cultum & obsequium meum officiosissimè deferes.

## EPISTOLA VI.

Brugas.

HVBERTO AVDEIANTIO S. D.

**E**T tu mihi in epistolâ spiras, mi **A V D E I A N T I**, ne sermones ab alieno ore expectem. Non gratulatio ista calamo sic concepta & crispata, vivacioris affectus quædam quasi flamma est, & oculos animumque meum tangit. Quot litterulas aut apices, tot stricturas video ab amoris igne. Sed ô te non eruditum modò, sed bonum; qui exigua aliquas naturæ dotes in me æstimas, melioribus instructus! Ita censco. Nam & felicitatem ingenii tui, & maturitatem eruditionis suspiciendam nobis non fallax Fama dedit. Ipse te laudavit nuper, quem lugemus, communis doctor noster, & ut amarem, invitavit. Ego verò nec segnis fui; sed tum concepi medullis affectum, qui hæreret. Cùm **L I P S I V M**, te quoque cogito, mi **A V D E I A N T I**: cùm arborem, felicem etiam hunc ramum. Illa collapsa est, sed hic translatus in suum solum, unde venerat.

venerat. Ita est : adoptivum suum vir ille magnus te habuit ; & adultum doctrinâ Patriæ reddidit, cùm terrâ despectâ cælum ipse cogitaret, quò paullo post recessit. Ego nunc vestigia ejus libo, docendi munus obeo, non sine memoriâ tui. Videndi verò me quoque stimulat pertinax cupidus ; ac, nisi venis, istuc expellere. Clarissimum illud LERNVTII OS eadem operâ usurpem : cui ego Viro animum meum dedo. De Laudatione funebri verus rumor est:cam habui, ac cudentam ad MORETVM misi. Aliâ quidem caussâ potuisse, aut etiam debuisse supprimi : sed pium erat, sciri affectum meum in magnos Manes, etiam cum eloquentiæ aliquo defectu. Iudicabis : & nunc de Iuventute nostrâ hoc scriptum. Vale, & Clarissimum LERNVTIVM saluta. Lovanii, v. Eid. Iun. 100.

VII.

EPISTOLA VII. *Montes Hannoniae.*

IOANNI BEMBENO suo, Medicinæ Doctori.

**V**T res, & simul vocabula rerum pravo usu corrupimus, doctissime & suavissime Amice, difficer aut sapientem cum eruditione, aut eruditum cum sapientiâ invenias. Vtramque putamus & ponimus, ubi non ponenda est. Sapientes deliriis, eruditii nugis sumus, & ingeniosâ stultiâ felicitatis umbram captamus. Quis extra nubem caput sustulit, & liberâ acie quid in homine, quid extra hominem, lustravit? vix homo : tamquam pecora imus, gregem sequimur, & in omni vitâ hallucinamur. Quid igitur? in ipsâ turbâ, imò in ipso errore sapiendum est. *λεωφόρος*  
*βασίσειν*

nulla servitus , cùm suam animus semitam ha-  
 bet ad tranquillitatem. Sed quād tum suave comitem  
 habere pariter affectum ! alioquin in ipsā iterum tur-  
 bā solitudo est ; quam vitare non potes , nisi amicum  
 invenias : sed verus jucundusque amicus non est , nisi  
 qui ejusdem tecum animi ac sensus ; totus , cui patere  
 potes . Talem te dico & scribo mi optime BEMBENE ,  
 & nōnne à tescribor ? elegātissimē illę littterę tuę , il-  
 lę verā sapientiā & eruditione imbutę , testes . Euge !  
 Hoc ipsum est Philosophari . Sapientiam nosse quam  
 secenteris , prima felicitas est . Nam quōd ad felicitatem  
 imus , fallimur : ab ipsā ordiendum est . Sic vive ut vi-  
 vendo felix sis : bonā & honestā mente eris . Carpe  
 diem : silentium & tenebrę noctem tenent , & imago  
 mortis . Somnum felicem putat , cui cum labore lux  
 est . Cūm sine miseriā vivere vitam licet , quid ni bea-  
 tam putem ? Sed cavendum , ne nostrā culpā miseri si-  
 mus ; ne aut Naturam , aut leges irriteremus , quod non  
 uno modo fieri solet . Ad honestam quietem Natura  
 ducit , leges trahunt . Leges fecimus , postquam Natu-  
 ram violavimus : Naturę vindicta leges sunt . Produc-  
 eti in hanc vitam sumus ut vivamus : ratione donati ,  
 ut honeste vivamus ; & sic felicitatē ratio ipsa præscri-  
 bit . Naturam sequere , nec in rationem peccabis . Spe  
 & metu abducimur mortales , avaritiā & ambitione :  
 mentis mille naufragia sunt . Sed nos in portu navige-  
 mus : tumida vota eos decent , qui alta moluntur : qui  
 escere magnis cogitationibus mens non potest . Ergo  
 ut cōcludam , in quiete felicitatem pone : quietem au-  
 tem virtus facit , & quæ secundūm virtutem vita est .  
 Sermone , mi BEMBI , ista mallem , & te audire vi-  
 cissim , ne pro meo tantūm gustuse stilus exsereret . Ne-

B

gatur:

gatur: fero, meamque potius quam tuam vicem doleo. Quid autem? Comum meum Exc<sup>m</sup>. Principi placuisse? gaudeo, & hoc nunc ago, ut tam insigni & heroico nomine dignū Laconismum meum faciam. De Bibliothecā dicandā, ô augustū, ô æternum consilium! sperare à tali Principe tale beneficium Patria audebit. Beneficium, quod vel hostes æstimabunt. Cardinalis Borromæus quam feliciter præivit! sed infeliciter tamen, nisi sint qui sequantur. Noster ille, yove erit cui Litteræ, posteri, ipsa æternitas debet. De modo & ratione alias agam, & cum ipso, quem scio benignas aures, sive sermonibus, sive scriptionibus meis daturum. Libellum de Luxu hīc nunc habes: trade, & de meliore notā me insinua. Scribere nunc per summas occupationes prohibeor: & hæc quæ vides, præcipiti planè calamo funduntur, non animo. Sed heus, terruit me, verè dico, periculum tuum, quod sic legi, ut videre visus sim. Obsecro, si me amas, imò si te ipsum amas, cautè & providè in posterum: tuum malum, meum puto. Vale, vive, philosophare, & optimum Principem, quem laudare mihi non definis, magis magisque demerere. Iterum vale, & scribe ad scripturientem: ama tui serioris serioris amantem. Lovanii, postrid. Kal. Ianuarii, 158. ix.

### EPISTOLA VIII. *Antuerpiam.*

FRANCISCO SVVERTIO *suo, S.D.*

**D**E Panegyrico HEINSII vis dicam quid sentio? Nectar est, & SCALIGERVM immortalem reddit, & *αἰτάλογον θεοῖς*. Erat quidem ille, etiam nō laudatus, sed hanc divinitatis confessionem ab ipsa calam-

calumniā vi orationis extorquere, ingenii penitus di-  
vini est. Bonæ Musæ! quæ ilta acumina, quæ veneres,  
quis vigor, ac majestas dicendi? Rara omnia, admi-  
randa omnia; magis etiam, quod de tam raro & ad-  
mirando homine scripta talia appareant. Facit enim  
magna virtus vilius encomium; & quæ in tenebris di-  
em faciunt faces, Sole lucente languent. Atque ego  
(liberè dicam) postquam istam Suadam inspexi, intel-  
ligere cœpi, quām frigidè simplicitéque LIPSIVM  
nuper laudārim. Ita, frigidè, si ~~λυκόδεις~~ illas specētes: ar-  
denter tamen, si amorem meum, sive potius cultum  
in magnos illos Manes. Vale, Lovanii, Postrid. Kal.  
Junias 80. 100. VII.

EPISTOLA IX. *Gandavum.*

MAXÆMILIANO VRIENTIO.

**P**RÆfabor veniam Clarissime VIR, si aut non scri-  
bendo hactenus, aut jam scribendo peccem. De-  
bebam antea, nec debebam; ne aut amorem tu-  
um negligere viderer, aut negotia interpellare. Debeo  
nunc quoque, nec debeo; ne aut scriptionem tuam ad  
WANNEMAKERVM vilipendere, aut quæ in eâ lau-  
des meæ, dicar usurpare. Ostendit ille epistolam ip-  
sam, ut est profuso in me animo; & tu fortassis scrip-  
feras, ut ostenderet. Nam profectò PVTEANVM nón-  
ne tota loquebatur? & quomodo? ut vel periculum  
fascini timuerim. Vix in manu epistola mihi fuit, &  
rubor in vultu: sic facilem candor verecundiam gig-  
nit. Candoris autem hoc pectus meum velut domici-  
lium est, eritque, quem profiteor: & hunc laudari non  
sino tantum, sed affecto. Tu facies Clarissime Vir; &

in aliis Doctrinam , aliásque dotes : in te ego omnia ista, & Candorem. Αόγος ille μυηματίης, quem habui , ad te veniet, & lectionis operā ambiet. Vale, & amicum me cense. Lovanii, 111. Nonas Iunias, 150. VII.

EPISTOLA X. *Mediolanum.*RAPHAELI MONTORFANO *suo.*

**S**criptionem tuam amo, mi MONTORFANE , et jam linguæ caussâ, quam sic libare juvat, si non usurpare. Sed quid ego noctuas Athenas? aut cur limites meos transfiliam, & peregrinâ imagine vocis nunc demum induam & stili vultum? Res, non verba scribimus , & quocumque sermone Amicitia hæc voluptas constat. Latino ego consuevi ; servabo morem meum : tu alio, & vernaculo tuo; persevera. Utrobique Lepores & elegantiæ sunt, & internuncii Amoris Dei. Ego verò etiam domi meæ , si idiomate censem , Mediolanum nunc habeo, Italiam in Belgicâ: ideoque tuæ litteræ tamquam domesticæ mihi , nedum amicæ. Sed BIFFIVS cur non unâ scribit? responsum debet ; si moratur, dicam ei apud Musas scribam , & arbitrum Amoris. GHILINVM amo; virum, quem virtus & doctrina amant; virum recti animi ingenioque, & pro indeole Majorum. Mi MONTORFANE , quâm pauci tales! vivunt plerique, tamquam non viverent , & in vita cuncta animo prostituto , Virtutis tamen audent nomen profiteri. Scilicet nobiles sunt , quia majores habuerunt: boni etiam, si diis placet, quia divites. Sic fortuna imponit. tolle velum illud fallaxque lumen; tenebræ, & maculæ sunt, & nequid gravius dicam, sordes. Istorum scito , sive decreto, bene vivere paupertatem

UNED

tem indicat, & Sapientiæ studium ad médicos relegatur. Maximum hominis ornamentum, animum compositum puto: injicere cupiditatibus frenum, ne in avaritiam, iram, libidinem concitemur. Pravæ naturæ isti igniculi sunt, qui si aluntur, amburunt quicquid in nobis divini est, & in omne porrò scelus impellunt. Sic servire corpori divitiæ debent, ne animo noceant: nocet autem animo quicquid honestè non fit, & cùm sibi quisque natum se putat, tamquam extra legem. Natura & Religio modestiæ nos obstringunt: illi tamē omni luxu ferociunt. Natura & religio notitiam cuique sui præscripserunt: illi negligunt. Vivere satis est, dum morem Genio gerant, & bonas artes bonumque ani- mi cultum impunè aspernentur. Iam quām morosi, superbi, sævi tales! quamcumq; prompti injuriam face- re, nullam ferre. Ad Rempub. & civiles honores ambi- tiosis votis plerique festinat; imo, cùm quis objex, vi- am per ambages corrupti mores inveniunt, ac pervin- cit *δαρδονία*. Scilicet in hanc felicitatis opinionem vaneg- mentes impelluntur, quasi nihil in vitâ humanâ meli- us, quām eminere, in oculis esse, pompam colligere à fôrdibus & lacrymis reorum. Sed quām in lubrico to- tum hoc ridentis Fortunæ opus! Honor nisi è virtute natus, & huic innixus, levi aurâ dissipatur ac perit. Virtus autem adjunctam sibi Prudentiam habet, Pru- dentia Doctrinam. Nisi philosophetur, qui trabeam sumpsit, & in Repub. versatur; sibi oneri, aliis inuti- lis est, & tamquam sine pondere ingens aliqua moles. Quid igitur Philosophari hoc? inquires. Breviter: Ex- aminare seipsum, animum rationi subiectum habere, non effterri prosperis, non dejici adversis, denique id esse quod Doctrina suadet, Religio jubet. Quid si di-

cam etiam, in Religione nostrâ veram Sapientiam esse? dico: nec Christianū esse, qui intemperanter, superbè, iracundè agit; aut liberum esse, quisquis vitiorum servus. Stoicorum dogma nosti, δτι πάντες οι σοφοί ελένθεροι, πάντες δὲ μαροὶ δοῦλοι; nostrum est, si examinamus; & qui sapere sibi Fortunæ quodam applausu videtur, ii quam maximè interdum insaniunt. Atque altioris ista argumenti, quam epistola nunc mea ferat. Familiaria namque, non seria, orsus eram, atque destinaram: & tamen honesta illa quies brevem sibi laudem expressit. Honesta? imò beata, cùm Litteræ accedunt. Si te ad studia revoca veris, omne vitæ fastidium (Senecam audis de Tranquillitate) effugeris, nec noctem fieri oportabis tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis super vacuis, multos in amicitiam attrahes, affluetque ad te optimus quisque. Sic G H I L I N V S noster vivit, in beatissimo illo otio suo & secessu: imò sic noster quoque S A C C V S vivit, quamvis in negotio. O virum! quem amo & admiror. Suas ille Musas facit, cinctus cibilibus curis, & cùm vix respirat. An & me isthoc modo esse aliqui volebant, & ad secreta vestri Senatus adspirare? aliam viam ingressus sum, nec jam deflecto. Fretum, non portus est, quò vocant; imò Scylla & Charybdis. An ego Vlysses aliquis, qui enavigem? Et fac me Charybdis vorticem evitare; elisum Scyllæ latratū qui evadā? Fac cum lucro istud munus esse, an sine labore erit? Sed ego, ducente bonâ Minervâ in Ithacam meam perveni; neque tamen indulum. E peregrinatione Lovaniū reversus sum, & in L I P S I I munus. An aliqua Calypso, quæ revocet, & immortalitatis præmio invitet, unde abii? At mori in patriâ Vlysses maluit, quam ἀπόπροδι sive γάιη τηλοδαπή divinæ naturæ beneficio frui, pasci nectare, & æternitatis albo censi.

Nimirum

Nimirū Patriæ tanta est vis ac tanta natura (è Cicerone  
lubet repetere) ut Ithacam illam in asperimis saxulis, tam-  
quam nidulum, affixam, sapientissimus vir IMMORTALI-  
TATI anteponeret. Ego verò & in patrio, id est, Belgico  
solo ἀγαρος και ἀγρως esse potero, ut hæc auspicia, nunc  
sunt meæ Musæ. De Fortunâ non queror : illa ubique  
negotium suum agit, & iniquior solet esse bonis.

*Laudo manentem ; si celeres quatit  
Pennas, resigno quæ dedit, & meā  
Virtute me involvo, probámque  
Pauperiem sine dote quæro.*

Quid multis? totâ vitâ hoc egi, nequid lucri caussâ x-  
gerem, sed tranquillo in otio libris & Bonæ Menti li-  
ber vacarem.

*Est etiam, ubi damnum præstat facere quam lucrum.*

Hoc cogitet, quisquis discessus mei caussam examinat,  
& pluris apud me pecuniæ studium, quam bonorum  
gratiam fuisse suspicatur. Bonos amare posse, imò co-  
lere videor, quamvis discesserim : & amari quoque à  
bonis, quorum in animis imago mea hæret. Oculo-  
rum imperfecta benignitas, nisi affectum absentis me-  
rear. Amari quam videri malo : nec videri, nisi amer-  
Ego verò quanti LIPSIVM fecerim, hoc discessu te-  
status sum. Neglexi paratum mihi apud vos lucrum,  
ut in locum tanti Viri venirem. Famæ, non Pecuniæ  
caussâ ad meos reversus sū. Et tamē cur alibi potissimū  
votis divitias paciscar, aut conditiones? Regem meum  
hīc quoque habeo, illum PHILIPPVM ; & Patriam  
habeo pro rerum statu benignam. De pecuniæ igitur  
aviditate cesset suspicio.

*Vt fama est homini, exinde solet pecuniam invenire:*

*Ego si bonam famam mihi servafso, sat ero dives.*

Sed

Sed ô verum te amicum , qui curam nunc isthic Famæ  
mex geris , & subnatam sinistræ opinionis maculam  
conceptis verbis diluis! LIPSIO NEMA ante octi-  
duum ad Clariss. SACCV M misi: inspice, ac deinceps  
exemplar exspecta. Illa de *Laudibus Iuvetutis nostræ missa*  
sunt, sed lentiori viâ. De Fausto meo suave fuit audire.  
Valeat porrò , crescat, vivat , & ad nos sine periculo  
transferatur. Virgo nostra scripsit : tu indica , vale , &  
me ama. In negotio Hispaniensi ex arbitrio Clarissimi  
SACCI ages. Tuos omnes saluto. Vale, Lovanii, xiii.  
Kal. Augusti , 100. C. VII.

## E P I S T O L A X I .

Reverendissimo D.

FRANCISCO BVSCHERETO,  
Episcopo Namircensi.

**H**oc jam alterum beneficium est, quia significas:  
nec tantum, sed ipsis litteris obligor. Promotum COLLEMIVM gaudeo : prælatum com-  
petitoribus, quo affectu accipiam? gratiam debeo &  
dico ; atque utinam referam! Debeo vero meâ, & Lit-  
terarum caussâ ; imò ipsius qui ad scholæ regimen ad-  
sumptus. Ego amari me video, quia pondus commen-  
datio habuit: sed foveri Litteras artesque, quarum cu-  
ram ipse suscepisti. Iam vero tam ad me beneficiū per-  
tinet qui petii, quam ad eum qui accepit: ut planè pa-  
riter obstrictus humanitati tuæ cum eo videar, qui ac-  
cepit. Referet quoque ipse gratiam, & dignum mune-  
re se præstabit, si prudenter & industriè reget. Hoc vo-  
veo, & me meaque nomini tuo devoveo. Vale Rme.D.  
Lovanii, vi. Eid. Januarii, 100. C. IX.

EPI-

## ÉPISTOLA XII. Bruxellam.

MAXIMILIANO PLOVVIERIO,  
Viro Nobili & Amico S. D.

**E**X promisso liberaliūs nūc loquendū: & vnde ordiar, nisi ab epistolā SACCī? Non parvi momenti negotiū hoc esse puto, & an inclinem, ex meā, & nō ex meā sententiā dicā. Eum vitæ cursum ingressus sum, ut quietē amem, & quæ cō ducunt: tranquillam Fortunā magnæ præferam. Nisi fallor, ista consilia bonaē mentis sunt, in portu potiūs, quàm in mari esse; nisi & in portu mare sit. Itaque si me ipse respicio, manere malim, quàm abire; hoc agere, quod cœpi. Quid tamen est? Ratio liberorum quoque habenda, ut præter nomen aliquid etiam à parēte exspectent, instrumen- ta inquam bonæ vitæ. Educare potero ( si annos Deus donat) erudire potero, neque hoc satis. Viles litteræ, cùm inopes suat. Fulciri debent, ornari debent. Neque quisquam tam stolidus, ut si robustum ac formosum corpus à Naturâ acceperit, vestem spernat. Liberorum affectus meritò parentes stimulat. & hæc pie- tas aliquam divitiarum cogitationem admittit; si non amorem. Dare meis aut relinquere, non otium, sed occa- sionem virtutis cupio: atque hæc in modicis quoque opibus consistit, sive honestis. Quòd si igitur occa- sio suadeat, è scholâ in aulam ibo: ero, ubi Rex me esse volet, ubi Deus volet. Sed hæc inter nos. De stipendio igitur ages: ita tamen, ne molesti simus. Cum ADERBA meo egi: et si detrectat, à te legi *Somnium* suum patietur. De pecuniâ etiam differt; quia incerta ad- huc itineris ratio. Inspexi iterum Epicteti locum; nec damnare possum. Picturarum alibi amor est, quo me

C quoque

quoque teneri fateor; imò luxus est, & cognitionem aliquam cum illo Conviviorum habet. Non solè in triclinio dapes sunt: sunt imagines, sunt tapetes, mensæ, sedes: in his omnibus Luxus esse potest. Præterea, COMVM describimus; neq; ille ab imaginibus alienus. Atq; ego etiam de vestibus aliquid addidi: ac paullo post videbis. Ornatos esse Comi mystas decet. Sed hujusmodi varietatis caussâ inseruntur, ne idem semper sermo sit, & cū tedium Lectoris. Ad Excellentissimū VELASCIUM epistolā unā SANDERIVS noster acceperit: incluserā. Feliciter eat, redeatq;. Et tu sic vive, mi PLOVIERI. Lovanii, Postrid. Kal. Quint. 100. 100. viii.

EPISTOLA XIII. *Ingianum.*

PHILIPPO COLINO suo.

**B**ONA hæc scribendi occasio est, mi COLINE: & tamen iterum bene precabor epistolæ, ne pereat.. Atque ne librum quidem pervenisse! Equidem doleo, & diras isti Mercurio imprecor, qui suppressit. Nam ego in culpam venio insons, & cùm radios mitto, ex transverso nubeculae intercipiunt & obfuscant. Vt tela in scopum directa & emissâ detorque-re ventus solet: sic litterulas & munuscula nostra casus aliquis interveniens aut fucus. Atque hic ab ipso sæpe ferente. Sæpius jam expertus sum: sæpius inquam alienas fraudes luo, neque tamen tollo. Te verò, mi amice: nunc iterum compello libens & complector, quem animatum video ad bona & honesta. Quas scripsi Iu- venturi nostræ laudes, tuæ sunt: tu verò tam amiceno virtutis doctrinæ que illicio meus. Perge esse, Patrem. que referre, illum; (ita audio, ita scio) pro exemplo vi- rum. Ego verò h̄c etiā frui te velim; voce potius quam

quām calamo ducere ad quæ festinas. Cogita ad summa cūdum esse. Sic ingenium tuum est, nec potest aut debet plebeiis illis terminis cōcludi. Iterum dico : cogita & quod de celo descendit, ut cum Iuvenali dicā, γενέτος. Sed ut istuc redeam, Encomium Iuventutis tui velut speculum erit, intuere. cui quod honorē carmine paraveris, gratiam scribo ex animo. At jam cūfus liber erat, & insuum montem, ut ita dicam, scandere Musa tua non potuit. Edo jam *Laudationem funebrem* I. L I P S I, quā hīc die anniversario habui. hujus exemplar à me accipies; occasio tantū mittendi sit, nec rursum aliena fraus aut negligentia imponat. Vale, Paren tem officiosè saluta. Lovanii vii. Eid. Iun. 100. ioc. vii. W ARGNIRIUS hæc scribenti mihi adest, velut iteratæ scriptionis auctor: hoc etiā officio nūc mihi carus, quod Laudationē curaverit, exemplari quid miserā amissio.

## EPISTOLA XIV. Bruxellam.

NICOLAO DE WEERT,  
Confiliario Brabantiae.

**C**OMPENDIO calami animum & voluntatem proximam. Mitto munusculum hoc libri, in quo Laudes IVVENTUTIS nostræ sunt, id est, olim tuæ, immò verò & jam tuæ, ut animus ille vernans floridusque in ætate constitutâ. Grave munus, magnum honorem sustines; sed vtroque dignus. Te honor, tu munus ornas, industriâ, prudentiâ, gravitate. Longum ornes, & seris tandem annis etiam senex sis; sed annis. Ego animo, utinam operâ! tuus sum, & ero in omnes annos. Nunc verò Laudes istas lege, sive tuas, si affectum meum admittis; sive alienas, si suspendis. Lovanii, in Museo Lipsiano, Postridie Kal. April. 100. ioc. vii.

## EPISTOLA XV.

Io. RODERICO GEORGIO.

**N**E scio equidem quid affectui tuo reponā. Of-  
ficia, ad quæ etiam veterani amicitardi, obis; tu  
jam in amoris honestissimo tirocinio velut ve-  
teranus. Lovanium visendi mei caussâ venisti, docen-  
tem audivisti: neque hoc satis: idem illud iter jam lit-  
teris decurris, & ad absentem sermonis quoque deli-  
cias mittis, tamquam amicitiæ petitor. Atque hoc  
meum quoque votum, in numero tuorum esse, & a-  
mari. Ego illum animum tuum tam insigniter dota-  
tum jure suspicio; benevolentiam & humanitatem æ-  
stimo; modestiam laudo, in re tam lautâ & fortunâ.  
Plerosque mortales quâm exiguae sâpe divitiæ inflant  
in tumorem! infra pecuniam bona mens est, & qui  
huic operantur. Sic lucrum inficit, vilesque animæ li-  
berales artes ceu ancillas habent. Tu alius, & cum di-  
vitibus nihil nisi divitias commune possides; ideoque  
verè dives: quippe non minùs animo, quâm arcâ. Ser-  
va hunc animum, id est, veras illas divitias, æternas-  
que. Amorem quoque mei serva, quem à tam bono se-  
mine exorsus es. Vale, & S C H E P P E R V M tibi com-  
mendatum habe. Lovanii. Prid. Non. Iunias, ∞.

150. VII.

Clarissimum NON IV mamicâ salute complector,  
Virum inter paucos: qui cùm in ceteris tecum con-  
spiret, in hoc contendit solum, an me magis amet.  
Hinc certè, ne solus me videres nuper, comes itineris  
esse voluit. ego, ne affectum istum separem, tuo illius  
nomen jingo, & utrumque alloquor.

EPISTO-

EPISTOLA XVI. *Mediolanum.*

Io. BAPTISTAE SACCO V. C.

*Senatui Mediolanensi à Secretis.*

**M**IXTA hæc epistola erit; & confuso argumen-  
to rerum quædā ~~xipuata~~ complectar, velut unâ  
bulgâ. Signabo potius quæ concepi, quâm e-  
loquar. pro malleo calamus, pro incude papyrus erit:  
ipsa epistola quasi Moneta. Ergo inspice. Vivere sic  
quidem cœpi, ut nisi onera habeam, possim Fortunam  
meam ferre. Sed Posteros habere suave est, & derivare  
in alios sanguinem, post secula victurum. Sine mole-  
stiâ & curâ vix quisquam Vir esse potest: nemo Pater.  
Liberos habeo: hæc autem voluptas sine acerbitate  
percipi non potest. *Apes ideo pungunt, quia ubicumque*  
*dulce est, ibi & acidum invenias.* Expugnanda igitur hæc  
acerbitas, aut certè toleranda. Expugnat etiam, qui,  
ut Virum, utque Patrem decet, tolerat. Interim in  
rem sapere fas sit, & sine famæ damno benignius fa-  
tum provocare. *Quid si etiam manum Fortuna porri-*  
*gat? Quid si invitet? sed nequid temerè Lubrica sæpe*  
via, quæ lævore strata, planities se commendat. Tu ju-  
dica. A Bononiensibus vocatus sum, & de conditioni-  
bus cœptum agi. Cujusmodi erunt, scies quoque. Rei  
summam ad te defero, ut examines decernasque. Sed  
Regem meum ánon sic deseram, ánon Principem,  
ánon cui post Regé Principémq; debeo, FONTANVM?  
Certè debeo; & cur non gratum etiam me ostendo? Id  
verò stilo, non loco fiet, & ubicumque ero, animus se  
iste exeret, imò manus, eloqua suspensi magno suo  
Mæcenati. Iam Ordinar, ac principiò Dicta facta q; ejus

Stilo pangam, quæ suggeri à te mihi, ab amicis, ab ipso  
 (siliceat) cupiam. Et facta quidem, quia publica, quia  
 maxima, facilius habeantur: dicta latent; & illa tamen  
 Factis interdum paria, tātoque Herōe digna. Qui fa-  
 cit summa, non sine Laconismo loquitur: in verbis  
 etiam arma admiramur. O fors dedisset hujus contu-  
 bernio aut præsentia frui! quām insignia, quām multa  
 sublegissem! sed nunc auditae exsequar, & parabo ta-  
 men librum, arx Æternitatis devovendum. Hic nunc  
 meus sum, & sic ago, ut illi solent, qui in otio sunt, &  
 tamen occupantur. Sine pompâ foris, sine luxu do-  
 mi esse didici: omnem in libris studiis que voluptatem  
 pono. Larem si lustres, nihil ornatius, aut splendi-  
 dius Mulēo. Libros instruxi, sed optimos & sele-  
 ctissimos quoque. Ut scias quām amoenus sim, hor-  
 tum etiam in Bibliothecâ habere videor, & Anti-  
 quitatis flores. Hos carpo, hos spesto, his non uno  
 modo fruor. tantum indulsi animo, ut non legere so-  
 lūm libros pulchrum putem, sed possidere. Alium  
 thesaurum æstimare nondum potui. sed diffundor.  
 Vale. Lovanii, Pridie Kalend. Decemb. 100. vii.  
 MONTORFANVS noster suo more, officiosè: tanquā scri-  
 pturus ipse, me juvat; tanquam scribendus, incitat. Sed  
 multū FONTANO defert, qui sic Historiam ejus urget;  
 amplius, qui sic promovet. Etenim nonnulla jam A-  
 POPHTHEGMATA accepi, lepida, & Spartanā quadam  
 majestate instructa; in quibus Heroica illa canities et-  
 jam ridet, & gravissima sententiarum pondera lepore  
 suo assurgunt. Sed ô vocem, illā pulchram, quæ blan-  
 dienti Veneri pudorem incussit, CONSENV! Et meritò  
 jam marito puella caret, quem libidinis pretio redem-  
 ptum

ptum veherat. Risi cùm legi. Plura ejusmodi sint, & scribere aggredior.

EPISTOLA XVII. *Antuerpiam.*

R. V. LAVENTIO BEYERLINKIO,

*Canonico Antuerpiensi.*

**R**E S P O N S U M debebam humanissimis tuis litteris, quod haec tenus dilatum potius, quam neglectū; nec defectu amoris, sed fiduciā. Ergo quam alii scriptio[n]is caussam, ego silentii habui; & quem indicare affectum distuli, ostendi. Sic interpretare. De Davo tu quidem lepidē, & potes. nam probitas tua, doctrina, dignitas incontaminatis mihi bonis que omnibus fulgebunt honoribus: nec committam, ut humanitate vincar. Robustissimā amicitia est, quæ ex dissidio cōit; & facile iram ponunt, qui non malitiā, sed errore colliduntur. O suavem redeuntis amoris nexum, cùm fidere verbis vultuique possim! Tuis, tuoque fido, quem in litteris expressum video, & niveo candore relucentem. Quod reliquum est, rogo, ut in bonā amicitiā perseveres, imò ut memoriam ipsam nuperæ nubis.

*Tradas proter-vis in mare Creticum.**Portare ventis.*

Vides, ut in cælo, cùm sudum est, nulla vestigia tempestatis? sic in Amore sit. Aquam carina impulsa finit sulcatque, sed redeuntem: ita liquidum affectum offensiunculæ debent. Has mergemus, & illæsum Amicitiæ nostræ æquor erit. Vale, & me tuum cense, imò ama. Lovanii, viii. Eid. Ianuarii, 8. Ioc. ix. quem felicem precor.

## EPISTOLA XVIII.

*Lutetiam.**Reverendissimo Patri*

AVGVSTINO GALAMINIO,

DOMINICANI *Ordinis Generali*,*Postea s.r.e. Cardinali.*

**V**T scribam, multa me impellunt: vetus ille cultus meus, tua in maximâ Ordinis tui dignitate humanitas. Sed & bella ista litterarum mitterdarum occasio. Proficiscuntur enim optimi doctissimi que ad te Patres, & amici mei, Eximus TORRESIVS S. Theologiæ in Academiâ hac nostrâ Doctor, Vir divini ingenii, & eius affecta COCVETIVS, exoriens sacræ Doctrinæ lumen. Proficiscuntur, inquam, & litteras has meas admittunt. Atque tuæ illæ manus sunt quæ ferunt, & membra tui corporis, ubique terrarum magni. Loqui ego videor cùm sic scribo, & pervenisse jam epistola, quæ sic mittitur. Cùm tam insignia conspicio membra, caput veneror; cùm sparsos Pietatis & Doctrinæ rivos, fontem cogito. ad Solem illæ Stelle ducunt. Sed in pectore quoque meo Reverendissimi GALAMINII perfecta vivit imago, animumque concitat. Suave mihi saltem cogitatione adire, & callamo alloqui, quem intueri posse, felicitatē censem. An hæc continget quoque, & Belgæ videbunt Virum, cuius laudes cum admiratione audiverunt? Eminere in tantâ familiâ non potes, nisi ut magnæ Virtutes tuæ in conspicuo sint: facere nihil potes, nisi ut Orbi terrarum hoc totum innotescat. Sed quodcumque agis,

agis, absolutum est, & in exemplū omnes accipiunt.  
 Tantum virū cœtui præesse D. DOMINI CI boni omnes  
 gaudent, & sic videre havent. Ego verò peculiari affe-  
 ctu moveor, quem suspicio, colo, desidero. Amicum  
 expertus sum. Vt porrò experiar, ut venias, & ut beni-  
 gne scriptionis hoc officium interpretere, votum  
 meum est. Vale, vive, & Purpuratorum Patrum ordi-  
 nem (quò tua te Virtus vocat) aliquando auge. Lova-  
 nii, III. Non. Maii ∞. I C. XI.

## EPISTOLA XIX.

IVLIO SALINERIO V. C.

**P**Er rivum hactenus affectus tui Nympham ex-  
 cepi; ô purā & eruditam! nunc fontem ipsum pe-  
 to, ut hauriam, & scriptione te salutem. Rivus,  
**Q**VARTIRONVS fuit, vir ingenio & eloquio præclarus,  
 virtute & eruditione admirandus, qui laudes tuas co-  
 piosissimè ad me effudit. Omnia fecit, quæ ad perfe-  
 etam Amicitiam conciliandam. Ego verò ipso pri-  
 mū nomine tuo incalui, mox illius studio exarsi. Sic  
 igitur magnum & amicum se tibi **Q**VARTIRONVS  
 exhibuit: me fecit. & jam emulatio inter nos, uter ma-  
 gis amet. Epistolas, & jam Tacitum communem ha-  
 bemus, & libamus: te quoque in epistolis, & Tacito,  
 velut in imagine magnæ & amatæ mentis. hanc nunc  
 complector, & affectu stringo, ut parem eliciam. Va-  
 le. Mediolani, Prid. Kal. Jun. ∞. I C. v.

Vt scias, quid Litterarum caussâ & Iuventutis hîc  
 faciam, Lucubratiunculas istas meas ad te mitto. in-  
 spice, & judicium tuum prome.

D

EPI-

EPISTOLA XX. *Lovanium.*

V.R. ADRIANO BAEXTIO,  
*Collegii Buslidiani Præfidi.*

**P**RIMVS Lovaniensium scriptione me alloque-  
 pris , & quasi provocas ad amoris vicem. Quid  
 verbis opus ? sic amantem amo , sic scribentem  
 æstimo: nec quicquam suavius accidere animo potuit,  
 quam repperisse , qui Patriam mihi & Professionem  
 gratulentur. Clarum id affectus signum; sed à te auspi-  
 citum , quo tardiores etiam animi incalescant. Vbi-  
 que scio Homines esse , nec uno omnes affectu duci.  
 Placebit multis hic redditus meus ; & quibusdam dis-  
 plicebit. Ut faciam , quæ fecit LIPSIVS , veni : sed  
 nec omnibus ille gratus fuit; quia Litteras tantum do-  
 cuit , & sic clarus magnusque potuit esse. Qui tule-  
 runt , fortassis infra munus successorem habeant. Ego  
 tamen hīc quoque ero , quod alibi conatus esse ; &  
 sic quos non inveniam Amicos , faciam. De negotio  
 autem Buslidiano , moram posco , ut corām & per-  
 specto Academiæ statu , quid muneris mei ratio pa-  
 tiatur , expendam. Quid autem ? hunc honorem  
 haetenus mihi servatum ? gratiam debeo & dico; quia  
 in his talibus maxima beneficii pars est , vocari. Et  
 sanè , si transferri docentis vocem è solito Historia-  
 rum auditorio in Sacrum Trilingue PRINCEPS  
 ORDINES QVE patientur , æstimabo locum , quem  
 commendas ; facemque inferam , quā tot annorum  
 caligo dissipetur. Vale , & metuum seriò puta. Ex-  
 tremo anno scribis , novo respondeo : sic dum Ant-  
 uerpiae

uerpiæ hæsi, litteræ tuæ etiam paucis diebus consenuerunt. Calido calamo & affectu responsum hoc prom. Bruxellæ. 111. Eid. Ianuarii, 100. VII.

EPISTOLA XXI. *Mediolanum.*

Io. BAPTISTÆ SACCO, V.C.  
*Senatui Mediolanensi à Secretis.*

**V**T vivo, ita loquor, & minoris facere Litteras incipio, à quibus elegantiæ magis quam virtutis laudem sperem. O Sapientiæ Limina, quam paucorum vestigiis calcata! Dilabimur mortales, & felicitatis imagine decepti, lubentiis nescio quibus adhæremus. Præ Musis, in pretio Sirenes sunt, frustra olim viæ. Ad mores & vitam Litteræ non referuntur. Aures ~~et~~ mulcet, sed aures: nullus ad animum fructus venit. Viden', quam saluti vicinus sim? damnare morbum meum incipio, amare Doctrinam, quæ virtutis, id est, felicitatis satagit. Magno impendo temporum, magnâ alienarum aurium molestiâ laudatio hæc constat: O HOMINEM LITTERATVM! sumus hoc titulo rusticiore contenti: O VIRVM BONVM!

Cujus istud consilium sit, quæris? Senecæ: sed salutare, etiam sine ullo auctoritatis pondere aut fulcro. Non tam quis dicat, sed quid dicat æstimo: & ne in Porticu versari me censeas, liber sum, & in illâ potius hæresi, quæ, ut Laërtius, ἐκλεξικὴ dicta, οὐ εἰσιχθιώποτά ποτέ ποτέσσεων. <sup>78</sup> Nimirum apes imitari fas est, & ex diversis floribus Sapientiæ illum succum constipare. Seneca ipse nōnne fecit? Epistolæ indicant, illæ nescio in Zenonis dumetis, an

Epicuri hortulis natæ. Et verò utrisque illis opus est, ne sine rosis sententiarum illæ spinæ sint, ne sine spinis rosæ. Ornari bona bonæ vitæ præcepta debent, sed armari quoque, ut vim aculeūmque habeant. Illud tale quod profero, tu judica, an Porticu sive Stoâ dignum, an Epicuro & hortulis indignum: MALE VIVVNT, QVI SEMPER VIVERE INCIPIVNT. Nunc interpretem audi: *Id agendum, ut satis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur cum maximè vitam. Quidam vivere tunc incipiunt, cum definendum est adjicam quod magis admireris: quidam antè vivere defecrunt, quam inciperet. Da mihi Neltorem, da istis canis triseclisenem aliquem. Si in futurum etiam feratur, puer est; sed qui diu fuisse, non vixisse videatur. Bene vivit, qui quotidie dicere paratus est, vixi: qui virtute, non tempore ætatem metitur, mori nondum didicit. Ergo hoc agendum, ut familiare nobis fatum sit; ut cum Parca fusum impleverit, vitam possimus contemnere; ut invenire, ubi posuerimus. Vale.*

## EPISTOLA XXII.

IVSTO HARDVINO. S. D.

**T**V verò tolle hanc prolem, mi HARDVINE, quam sine nostro, sine Patriæ damno nō abjicias. Nam profectò, ut liberè judicium meum promani, quid lingua, quid lyra vernacula nostra possit, tuo ynius aut scire indicio Belgæ poterunt, aut silentio ne scire. Famam nesperte, quā ad patrii eloquii cultum plures excitantur. Te ducem facio hujus chori, qui Belgicas ipse facis Gratias & Musas. O te felicem! si esse

esse nos quoque voles; si imbuere publicè vernantis  
Genii tui rore. An argumentum te retardet? Fateor;  
Amor est; non morbus ille languentis animi, sed vi-  
gor excitati; non Veneris ille puer amplius, sed Mi-  
nervæ. Hoc agit (liceat dicere,) ut extinctâ libidinis  
face, honoris accendat; vt abjectis levissimi furoris  
alis, Famæ adsumat. Breviter: sine cupidine hîc Cupi-  
do est, sine amore Amor. Habes sententiam meam, mi-  
**HARDVINE**, sed publicis suffragiis firmatam; me  
habes quoque vero affectu tuum. Vale, Lovanii, VI.  
Eid. Maii, 100. VIII.

EPISTOLA XXIII. *Mediolanum.*

RAPHAELI MONTORFANO suo.

**S**ILENTII mei caussam è Clarissimo SACCO intelli-  
ges: sed & tuum video, vix fero, mi MONTORFANE,  
per aliquot has septimanas. Virgo nostra conva-  
luit: sed ego auctor sum, ut in Patriam, & ad matrem  
redeat. Querula in ipso quietis contubernio, nec satis  
morigera vivit: & quia aulam spernere potuit, omnis  
ei hîc Fortuna vilis est. Profecto nihil difficilius, quâm  
ferre posse prosperâ, & vastum animum modestâ co-  
gitatione coercere. Suadeo optima, & hoc mei mune-  
ris est: ipsius, facere. Cōsilia locū si non habent, suum  
sibi malum imputabit. Imaginem illam ad BARTHOLI-  
NVM mitti penitus velim. Atque ego topographicam  
Insubriæ Mussiique exspecto. Nos hîc Irene du-  
bios habet, ac videmur in ipsis calamitatibus re-  
spirare. Sed

----- Non male nunc, & olim

Sic erit:

Pleno tantum tranquillitas vultu affulgeat,  
*Nostrisque ductum seditionibus*  
*Bellum recedat.*

Felicitatem Belgicam, velut in imagine videmus, an umbrâ dicam? Tales induciæ hæ sunt, & fortassis protrahendæ in plusculos etiam annos, ut alieno nomine Pax ipsa vestiatur. Atque tum aliam aliquam orbis partem ferox Mars concutiet, aliud mare sanguine humano tinget, alibi Morta sive Mœra sœviet. Non tolluntur mala, sed migrant. Faxit Deus, ne in Hesperiā vestram, longo jam otio felicem, an & fessam? Movet se identidem, ac nescio quid minatur. Sed ego augurari infausta nolo. Floreat, vigeat pucherrima illa terrarum, illa ingeniorum & elegantiarum æterna sedes. Hoc votum meum est, & ut tu floreas vigeasque, mi MONTOFANE, quem videre iterum nimis haveo. Professoribus Palatinis vestris nuper salutem misseram, eandem nunc adscribo quoque, imò duplico. Loyanij, iv. Eid. Martii. 100. IX.

### EPISTOLA XXIII. Ruramundam.

GWILIELMO CRIPIO SECUNDΟ.

**A**MOREM testari suave est. Fecisti, facio, & silentii culpam, si quæ est, libelli isto munere luo. PHAGESIPOSIA sunt, sed sermone Satirico mihi castigata. Imò Somnium & imago est, quâ velari veritas debuit, ne percelleret. Delicati hodie mores sunt, nec reprehensionem ullam ferunt. Quæ vitia olim, nunc

nunc elegantiæ factæ. Facilis, sobria, & sine arte mensa, infamia obnoxia est : luxus vanitasque laudem inveniunt. Ego verò quasi deessent, finxi vitia quæ corriperem : & quæ in luce vigent passim, in tenebris quæsivi. Ejusmodi verò hæc sunt, ut damnare etiam cogatur qui committit ; cogatur, sed si agnoscere turpidinem incipiat. Adumbravi, ut videbis, mi CRIPI : utinam cùm fructu ! laudis quidem satis erit, odium si effugiam. Sed ut tu vel ab hac scriptione amorem mei augeas, rogare audeo : tum etiam, ut propugnare honestum hunc conatum meum velis, si quis Intemperantiæ patronus se opponet. Reverendissimo CVVCIO perte cultum & obsequium nuncio. Vale, Lovani, III. Kal. Decemb. 100. VIII.

EPISTOLA XXV. *Mediolanum.*

LUDOVICO SEPTALIO, V.C.

**S**CRIPTIONIS officium necessario aliquando silencio findimus, nec amare desinimus. Vivit arbor, etiam in ipso anni senio, & à labore fecunditatis suæ respirat otiosa, nec indignante agricolâ, nec culpante. Affectum meum, arborem puta ; absentiam istam meam, hiemem ; te agricolam, cui scriptioonis istos fructus pèdo, sed ut vires ex intervallo colligam, velut Litterarum succum. Non una caufsa etiam parturientis ligni facilitatem retardat: Sol, frigus, imber, ventus, grando, & quicquid ab inclemetiori cælo nocet. Ejusmodi verò hoc munus meum est, ut quicquid dico, patiar. Occupatiunculæ continuæ, nunc hiemis injuriam, nunc ætatis molestiam exhibent, me mihi surri-

surripiunt, id est, amicis. Animo scribo tamen, litterasque missito, cum manus cessat: & illum animum, amore tui, velut cibo alo, & nunc iterum excito, ut discussis silentii cineribus, exardescat. Hem! memoriam ego tui cultumque aut deponam, aut imminuam? potius non spirem. Amabo quamdiu vivam (sic serio cense) & nomen illud tuum venerari suave hic mihi, ut fuit, ita erit: scribam etiam, & vim negotiis inferam, ut fuisse futurumque ostendam. Sed sine litteris meis, stricturas quasdam amoris nonne misi? libellos meos, in quibus alibi tuæ etiam laudes reluent. In SOMNIO occasio non fuit; quod tamen ideò minoris non facies. Ludus est, & censura quædam morum; sed censuram tuam ambit. Vale, Lovanii, Prid. Eidus Decembris,

∞. IEC. VIII.

EPISTOLA XXVI. *Antuerpiam.*Io. HOLLANTIO, *Sua viissimo Amico.*

**S**CRIBERE incipio, mi Amice, & litteris velut illecebbris tuum ad nos redditum e blandiri. Veni, si venire datur: si non datur, scire cupio, quæ virgo maritū te secundò faciet, quæ virago nobis abripiet. Hem! pugnantia animum vota librāt: ut liber nosterque sis, ut more nostro, & in vinclis. Quid tamen? sic quoque noster eris, nec desines. Deus igitur faveat, talem donet, quæ animo, formâ, dote, amore tuum mereatur! tu quidem grandia & egregia omnia conferes, & hæc magis etiam modestiæ & humanitatis candore commendanda. Sed ô felicem virginem, quæ te fruetur! quæ tua dici volet, & esse, communione ignis & aquæ! Iterum; Deus faveat! & insculptum simul pecto-

xi tuo

EPIST. APOPHORETA.

ri tuo nomen PVTEAN: servet! Ego in Gripho, ad quem  
me impulisti, h̄ic progredior, sed non grallatoris gra-  
du. quoties pedem figo, h̄arendum est, ac deliberan-  
dū, priusquam promoveam. imò tota via scrupus est,  
numeri velut lapilli, ubique sparsi. Ecce in illo ver-  
su eram,

*Quique novem novies fati tenet ultima finis.*

Explicabam: Etiam finis ille, qui ultima fati, id est no-  
vem novies tenet annos, ternario absolvitur; & vivere  
homines anno LXXXI. desinūt. Hæc ex sententiâ Plato-  
nis, referente Censorino, dicuntur. Platonis, qui qua-  
dratonomero annorū vitam humanā consummariputavit, scilicet  
novenario, qui cōplet annos octoginta & unum. Rectè novena-  
rio quadrato. nā cùm numerus iste LXXXI compositus sit;  
(numerii enim impares in Primos, Cōpositos, Medios  
dividuntur) non à ix tantum, etiā à iii & xxvi i men-  
suratur. Ter videlicet vigintiseptem, aut contrà vige-  
sies septies tria faciūt LXXXI. Annus igitur hic LXXXI.  
Climactericus, sive Scansilis à veteribus dictus, quòd  
ad hunc velut ultimum scalis quibusdam ascendatur.  
*κλιμακὴν* autem scalæ sunt, unde *κλιμακηριός*. Quia verò  
duo etiam anni, XLIX. & LXIII. vita periculum ha-  
bent, hi quoque Climacterici nuncupati, sed ab illo  
primo: quasi mori posse, & mori, eadem nominis ap-  
pellatione censeri debeat: cum necessitate, periculum.  
Annum XLIX. sive Climactericum minimum, Censo-  
rinus exprimit, maximēque pericolosum: sed subtiliter  
magis quam verè, ut res & experientia docent. Cōstat  
quadrato septenario: septies enim septem sunt XLIX.  
qui numerus Medius est. De anno LXIII, tamquam pe-  
riculosissimo, à Censorino dissentiens Agellius, libr.  
xv. cap. vii. Observatum in multâ memoria, expertumq; est in

E seniori-

Senioribus plerisque omnibus, sexagesimum tertium vita annum cum periculo & clade aliquā venire, aut corporis morbiq; gravioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. propterea, qui rerum verborūmque istiusmodi studio tenentur, eum ætatis annum appellant καὶ μακρύπονον. Numerus vero LXIII. Compositus est, quem metiuntur III.VII.IX.XXI. Tria enim vigesies semel sumpta, aut cōtrà, cōficiunt LXIII. itē septem enneades, vel novem hebdomades eundem reddunt numerum, & hīc præcipue considerantur: sicuti & in LXXXI. Enneas, reliquis neglectis: cùm in XLIX. solam heptadem habeamus. Ergo, ut breviter & dilucidè dicam, annum LXIX. sive primum Climactericum Septenarius regit. LXIII. sive secundū, septenarius & novenarius: LXXXI. sive tertiu, novenarius. Sed jam amplius argutemur. Voluerunt antiqui, ut Censorinus scribit, Septenarium ad corpus, Novenarium ad animum pertinere: illum Medicinae corporis & Apollini attributum, hunc Mūsis; quia morbos animi, quos appellant πάθη, Musicalenire ac sanare consueverit. Quæ si vera sunt, Climactericus primus, sive XLIX. ad corpus refertur, ob septenarium, qui hīc dominatur: vltimus, sive LXXXI. ad animum, ob novenarium: medius, sive LXIII. ad corpus & animum, ob utrumque illum, septenarium, novenariumque. Quia vero gravissimum illud malum, quod corpus animūmque simul premit, meritò LXIII. damnosissimus habetur. Deinde, quia gravissimo illud proximum, quod animum carpit, secundo loco & periculo posuerim annum LXXXI. Postremò, quia infirmissimus morbus ille, qui solius corporis est, annum XLIX. hac crisi afficiam. Non omitto tamen, ex energiâ numerorum inverti hunc ordinem posse, & periculosissimum XLIX. poni; hinc LXXXI: tertio LXIII. Annus enim

enim XLIX. solo & puro Septenario constat, eoq; quadrato & viribus suis robusto : LXXXI. novenario quidem quadrato, sed non solo eo numero: LXIII. septenario & novenario, at neutro quadrato, id est, firmo. adde, quod hic quoque locum III. & XXI. habeant, & septenarii novenarii que vim delibent. At istam supervacuam subtilitatem alius dicet: & tu arbitrio tuo aut admittes, aut rejicies. Quicquid sit, annus LXXXI. ut Ausonius hic è Platonis sententiâ definit, vitæ humanae terminus est ac finis. Climaëtericus inquam, quem transcendere vix datur. Citrà ferè morimur, & tanquam in viâ fessi exhaustique, Parcarum nigrum hospitium subimus. Frāgitur & delibatur vitæ flos ac vigor, labore, dolore, deliciis, voluptate. Ferè effeta corpora sunt, priusquam deviruerunt: & sic caduca, cùm nondum matura. Laborat in juvēne robur, in viro virtus, in omnibus natura, quia corrupta. Si rectè momenta expendimus vitæ, in quavis ætate Climaëtericus est; imò quicumque moritur, senex est, quia in annorum metâ. Diu vixit, qui bene, qui honestè, qui σπουδαιῶς. Revocare ad epistolam lubet, quod epitaphio nuper ingessi:

HOC EST VIVERE,

SIC MORI, VT SECUNDО VIVAS:

HOC EST MORI,

SIC VIVERE, NE QVID MORS DELIBET.

NON MORITVR, QVI SIC VIVIT:

NON VIXIT, NISI QVI SIC MORITVR.

Breyiter rem expressisse videor. nam bene vivendo fatum superamus. Seculum, quod longissimum aliás vitæ spatiū habitum, implevit, quisquis comitem Virtutem dicit, quod iturus est. Non est, censente Senecā,

E 2                    quod

quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. non enim ille diu vixit, sed fuit. Ergo non vivit, qui non quotidie mori paratus est: vitam, quasi non agat, desiderat. implere novem novies annos votum est, ut si quis per venerit, vivere tum demum incipiat, principiumque querat in fine. Nam inter cetera mala (cum Epicuro hoc dicam) hoc quoque habet stultitia proprium: semper incipit vivere: imò ne quidem incipit: optat vitam, ut differre queat. Nos vivere vitam, quam optare malimus, mi  
HOLLANTI.

----- *Ille potens sui,  
Lætusq; deget, cui licet in diem  
Dixisse, vi x i:*

qui ultimam quamque lucem, tamquam non reddituram, consumit: qui quotidie senium cogitat, id est novem novies annos quotidie se implesse. quotidie enim ----- *fati tenet ultima finis.*

Atque finis nunc mihi hujus quoque epistolæ sit, sic satis nimiumque prolixæ. LIPSIOM NEM A. hic habes, nuper librum, nunc libellum; sed Clarissimo viro GODEFR. VANDEREYKEN dandum. Seriò seriò eum amo & saluto. THYRSI imprimuntur, ac statim specimen videbis. Vale. Lovanii xiii. Kalend. Februarii ∞.  
Ioc. ix.

## EPISTOLA XXVII. *Mediolanum.*

PETRO ENRIQVESIO GVSMANO,  
Comiti FONTANO.

**M**Agis magisque hæc studia, & quod in iis præsto, Excellentia tuae placere exerior. Munus accepi, quod pretio pariter & honore magnum.

num. Munus inquam : neque hæc mea felicitas fuit,  
ut præmium appellarem. Nimirum prævertis iterum  
insigni munificentia conatum & laborem meum , tu  
promptior ô Magne PRINCEPS, beneficiendo, quām e-  
go demerendo. Et quid nisi pro magno & excelsō ani-  
mo tuo? qui dare, non reddere beneficia consuevisti. I-  
ta est : simulque de industriâ meis rationibus consu-  
lis ; ut quo inire libro gratiam Excellentiæ tux put-  
bam, eodem agere nunc mihi liceat. Id igitur nunc a-  
go, non epistolâ, sed ipso libro : his inquam HISPANIA-  
RVM VINDICIIS TUTELARIBVS, ut titulum scripsi. Deus  
dabit, ut majora Virtuti, Famæ , Æternitati tux conse-  
crem, & ad sacrum hunc ignem stili mei facem accen-  
dam. Vires tātūm, & otium posco, & Litterariam quā-  
dam quietem : & hæc ab Excellentiâ tuâ accipere,  
quām ab aliis malo. Itaque Bononiense negotium ar-  
bitrii tui facio. Non tam veniam ego hinc abeundi,  
quām consilium peto. Hoc an istam Excellentia tua  
dabit, velut imperium admittam , & ad nutum magni  
mei Patroni ac Patris esse, in felicitate ponam; non of-  
fendisse æternum Benefactorem meum , divitias exi-  
stimo. Ita loquor & sentio. Tu me ama Illusterrime  
& Excellentissime PRINCEPS. Lovanii , Postrid. Eid.  
Maii, 100. VIII.

EPISTOLA XXVIII. *Insulas.*

V.R. FLORENTIO VANDER-HAERIO S.D.

**V**T ista epistola tua est, scintillas amor habet, &  
vel absentes urit. THYRSOS ego scripsi , tu qua-  
tis. verbo dicam : in furorem honestum datus.

E 3

sum,

sum , ut tuum legi. Nam profectò sic amare , imò sic laudare,furor est. Alterum patior, alterum verò recuso : nec amari videbor, si sic laudas : laudari autem , si duntaxatamas. In studiis Litterarum siquid præstiti; Conatus sunt ; nec aliter appello : sat felices , si reprehensionem evadant. Pellicis tamen animum hunctimidum, ut de LA CONISMO mittere audeam, quæ recen-ter evulgata. Mittere,inquam,ut brevitatem nunc me- am scribèdi excusem. Ad MACARIVM litteras adjungo; tu pondus addes. Virum illum nostrum facies , qui u-nus fugientes Græcæ Musæ elegantias reducet. Vale, elegantiarum decus , & amare me perge ; laudare , ut cœpisti , desine. Lovanii, Postrid. Non. Martii, 100.

100. IX.

E P I S T O L A XXIX. *Bellimontium.*IOANNI BEMBDENO, *Medicinae Doctori.*

**P**RUDVXI in hunc diem silentium , & peccavi , mi-BEMBDENE.sed quid? negligentiā an occupatione dicam ? utrāque:ac nescio profectò, accusare me ipse, an excusare debeam. Negligens fui , quia locum dedi occupationi : tu mihi ante negotia esse debuisti. Occupatus fui , & coacta culpa videatur. Quid si scripserim quoque litteras , nec miserim ? inspice , & evolve THYRSOS istos, dices. Publicè te,sed breviter affatus sum : meis ecce verbis , & non meis. Amabis mea, æstimabis non mea, illa à sapientiæ olim ore pro-fecta. Sententiae sunt, salutares mehercle & quantivis pretii , si Philosophiam , & felicitatis veræ censem æstimamus. Et quis beatus, nisi qui ad ista consilia vi-tam

tam omnem componat? Veram virtutem & contemptum mortis h̄ic docemur, quietā & serenā métis aurā frui, quæ non uno turbine inquietatur. Ergo munendū pectus validis præceptis exemplisque, ut intrationis ripas turgescentes affectuum rivuli coērcean-  
tur, sed sine damno defluant. Margo sive crepido am-  
nis, ubi mollis & terrea, atteritur, firmum nitidūm-  
que alveum silices scopulique faciunt: sic in animo  
quoque fit; rodimur conficimurque, nisi ad ipsa mala  
induruimus. Mala autē voco, quæ ad iram, avaritiam,  
ambitionem, libidinem concitant: mala etiam, quæ  
mala non ferendo facimus, ad vindictam proni. Hoc  
ut possim, voveo; & ut quietus quietas colam Musas,  
in omni tempestate rerum. Hoc agendum cuique, ut  
tranquillam, id est, beatam vitam habeat: quæ aliter  
contingere non potest (Senecæ hæc Doctrina est, de vi-  
tâ beatâ) quâm si primum sana mens est, & in perpetuâ posseßi-  
one sanitatis suæ; deinde, si fortis ac vehemens, tum pulcherrima  
& patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id  
curiosa, non anxiè tamen, rerum quæ vitam instruunt, diligens,  
sine admiratione cujusquam, usura fortunæ muneribus, non servi-  
tura. Nec plura jam dico. Postremam epistolam tuam  
etiam ruminor: nec satis scio, an suadere *ἀποδημίαν* de-  
beam, ad istum quidém odum. H̄ic esse, agere, doce-  
re te malim; & si voles, consilia conferemus. Ego in-  
terea cogitabo seriò, & cum amicis meis agam. Vale,  
& fratrem me cense, æterno boni affectus nodo. Lit-  
teras tuas delicias interpretor: nec injuriâ igitur exi-  
go. Lovanii, vii. Eid. Febr. 100. ix.

## EPISTOLA XXX.

LVCIO TERENTIO MERIANO,  
Auditori quondam suo.

**S**I non ad te, mi M E R I A N E , de te tamen scripsi;  
S affectum & curam meam ostendi. Tu te talem  
præsta, ne frustra ostenderim, non præceptis tan-  
cūm meis dignum, sed votis. Abeuntem, ad optima &  
honestissima te cohortatus sum; ne deflectas: absenti,  
& inter ignotos cum novercā, ut ita dicam, Fortunā  
luctanti feliciter precatus; superasti amicorum meo-  
rum auxilio, dominis domibusq; sic mutatis, vt apud  
exterorū, tanquam tuos verteris. Vt re conditione, vte-  
re simul annis qui fugiunt, nequaquam reparandis.  
Qui sis, & vbi sis, cogita: vt Patrem habeas, Herum  
cole; imò, ut exemplum Prudentiæ ac Virtutis habeas,  
Herum observa. Vtraque illa in luce istâ rerum homi-  
nūmque discenda tibi; sed ut stili ingeniique cultum  
socies, & modestiam assumas,

Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.  
Ad libros te doctores mitto, si desint quos audias. Il-  
los adire, interrogare, domi forsique poteris, interdiu  
noctisque. breviter: quando, & quoties volueris, para-  
tos. Tecum vigilant, cubent, accumbant; imò otien-  
tur, & ambulent. Si nō spernis, nullo aut exiguo sum-  
ptu pædagogos ipse habeas, qui aliis datus: nec recte  
datus, nisi pariter habeas. Quod si librorum inopiam  
quereris, cum Senecā dicam: Non refert quam multos, sed  
quam bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui  
quod destinavit per venire vult, unam sequatur viam, non per  
multas vagetur. non ire istud, sed errare est. Et vin' etiam, vt  
ego

ego tibi præscribam? Hunc ipsum Senecam cape, adi-  
ce Plutarchum, & ex Historicis aliquem. Imitatio  
Plinii Epistolarem stylum fœcundet & acuat; Tullii,  
purgetornéque. Habes ecce Bibliothecam, habes vel-  
ut in itinere non vulgarem ingenii cibum. Condi-  
menta & delicias etiam quæris? à Poëtis, sed per oble-  
ctationem, petes. Horatium quidem nunquam satis  
commendé, in quo altissimæ sapientiæ scintillæ sunt.  
Ergo & hunc adhibe, animumque virtutis amore ma-  
gis magisque accende: ut amare te possim, probum  
& modestum cupio. Vale. Lovanii, v. Eid. Ianuarii,  
cc. Icc. ix.

EPISTOLA XXXI. *Mediolanum.*

Io. BAPTISTÆ SACCO,  
Senatus a-Secretis.

**V**T stili tui felicitas & majestas est, vereor ( nisi à  
judicio discedas ) ne meas hasce litteras quis-  
quilius interpreteris. Etenim legi cum summâ  
voluptate descriptionem hiemis; imò vidi, quicquid  
anni hiberni vis potest, tanquam in tabellâ pictum.  
Nihil h̄c tamen asperum aut glaciale, præter argu-  
mentum. Calamus calet, fervet dictio, & totâ epistolâ  
spirat pater ille florum Favonius, & amœnitatem ad-  
spirat. Non hiemis, Veris ille color, quo periodos dis-  
tinguis: ab animo, velut fonte, calentem quādam au-  
ram scriptio exhalat. Etenim adumbrare austерitatem  
Brumæ non potes, nisi ut neges. Ego potius, ut frigidè  
jam scribo, frigus indicō, & rigorem quo cingor. Con-  
spirasse h̄c quidem gelida omnia astra videntur, vti

F

ſaviant;

sæviant, & in nos prima illa tela sævientis Boreæ contorta, quæ fracto impetu ad vos deinde devolvuntur. quibus armis tuti simus? Rhenones nominas; sed pelliti esse desimus. Hypocausta addis; at iis nos planissimè caremus. Igni libero frigus nobis solvitur: nec tamen benignius depromere merum licet. Alter Ignis, puer ille inquam Semeles, & domator velut Brumæ Bromius alibi viget: sed & isto nos caremus. Vinum omne à calamis & spicis; & meliorem illum liquorem hordeo & mulamur. igni coquimus, quicquid exhilarare mentem potest. A quam tamen esse, hiems ostendit; congelatur. Verè dicam: non epistomiis, sed securibus promitur: cædi debet, & sic ad prunas liquefcere, ut bibatur. siquid vigoris inerat, concretione, ac deinde tepefactione perit. Ista quidem si Thermopolia vocas, cum Plauto dicam, Thermopotamus. De Scythis Virgilius canit:

----- *Cæduntq[ue] securibus humida vina:  
nos aquam ipsam, & in similitudinem vini corruptam,  
imò frigore concretam, ut bibamus. Bacchi munera  
aliunde sunt, & sic rariora nostris in collibus merum  
crucium nascitur. Quid? ut Cælum & Solum hoc est,  
toto triente anni*

----- *neque vllæ  
Aut herba campo apparent, aut arbore frondes:  
Sed jacet aggeribus niueis informis, & alto  
Terra gelu latè, septemq[ue] affurgit in ulnas.*

Sed ista nunc hiems crudelissimo frigore totam Belgicam adflicxit, atque funera passim dedit: belli iras extinxit, & ad Pacem Partes duxit, (ita publica spes est) stabiendiā. De Spinulâ quæ proxime scripsi, rumor adhuc confirmat: sed rumor tamen, qui & fallere me

me potest, quo & ego fallere. audita refero: tu arbitrio tuo addes fidem, vel demes. Quidquid in re erit, à me quoque scies. Bononienses silere diutius nolim. Quid si verò litteræ meæ infortunium invenerint? Fieri potest, si non ad Persium, Græcarum Litterarum inibi professorem, missæ. Ego quidem huc direxeram. nam BARTHOLINVS Vrbini tum agebat, & fortassis nunc agit. si quid etiam hac in parte à tabellariis culpæ, obsecro investiga & corrige; méque novo beneficio obstringe. Ad Cardinalem scripturio, & proximâ septimanâ habebis. Litteris hinc in Hispaniam missis magnum VELASCIVM compellavi, quas SANDERIVS suis junxit & curavit. De Titulo aut retinendo, aut permutando, serio & copiosè scripsi: an cum fructu? experiar. Utinam conatus meus placeat! Sed non ultimam Reip. partem doctrinam esse, res novæ veterisque testantur: bene, si non ultimam nos habeamus. Consiliis cœptisq; Illustrissimi BORROMEI applaudo: rem magnam, nec tentatam nostro ævo aggressus est, correcturus èrum, si quam aggressus, perficiet. Ut suggesseram coram, xii viros alet, titulo & munere Literario suos: auctor nunc sum, ut tres Linguarum doctores ex iisdem constituat, majori stipendio habendos, qui statis diebus in eodem Muséo doceant, Hebræam, Græcam, Latinam. Res quidem Professoria cum fructu, & simul honore Bibliotheçæ erit, & institutum æternabit. Tu age Optime & Clarissime Amice, etiam sine litteris meis, quæ honestius accedent. Si ita videbitur, libellum hunc DE LVXV, eidem offeres, tanquam à me missum. De Historiarum illo scriptore tu lepidè, acutè, prudenter: *Silentio neminem offendit, qui in se loquitur.* Aurea, ita me Deus! verba, & quibus ad-

mirationem tui nostris hic hominibus incusisti. De telis VELVYCKIV monebo. Antuerpiam ivit, triduum aut quatriduum hæsurus: ubi redierit, mora nulla erit. Vale, & animum meum tibi habe, ô Optime virorum. Tuos saluto, & quibuscunque carus sum. Lovanii, pridie Kalendas Mart. 100. 100. viii.

## EPISTOLA XXXII.

*Reverendissimo*

FRANCISCO BVSCHERETO,  
*Episcopo Namurensi.*

**H**Æc muneri meo necessitas adhæret, ut quos doceo, juvare aut promovere quoque debeam: quasi non institutione tantum, sed beneficio Discipuli censeantur. Ego verò hoc Auditoribus meis præmium rependo, ut promoveam quos doceo, imò quos docui; ne inutiles esse Litteræ videantur, si quis diligentius pleniūsque hauserit. Talis Vir iste est, doctus etiam antequam audire me incepit: cuius ingenium præstans promptūmque est, ac planè ad docendum regendūmque. Fecit etiam aliás, & cum laude: ut planè commendare eum audeam, aptum muneri litterario isti, sive regimini quod ambit. Fave Reverendissime Antistites, & hoc quoque mihi beneficium præsta, ut promovisse videar, quem Auditorem habui. Hunc enim sperare duntaxat è studiis suis fructum possunt, qui Litteras istas discunt, reliquo lucri compendio destituti. Vale, & vive, & libertati mea ignosce. Lovanii, v. Kal. Decemb. 100. 100. vii.

EPIS.

EPISTOLA XXXIII. *Ticinum.*

HENRICO FARNESIO, V.C.

**V**ETEREM affectum cultumque novâ scriptione testor, & defero, quem utrumque insignis Doctrina tua atq; Virtus merentur. Quàm jucundâ verò cogitatione & sermone memoriam tui foveam, juvenis hic & contubernialis meus CORNELIUS BREDA indicabit. Totum apud me annum egit, tam familiariter ac frater, tam modestè ac filius: & sic cum habeo, fratrem, inquam, filiumque. Quid mirum igitur, si cum affectu commendem? quasi satis ego non amem, quem meum feci, à te amari quoque cupio, pari modestiâ filium, familiaritate fratrem. Ergo complectere, in dolem nosce, & pulcherrimas animi dotes: augeri & ornari illæ poterunt tuo exemplo, sermone, doctrinâ: atque in hunc finem amicitiam tuam ambit, ut melior doctiorque ipse evadat, & quæ longè latèque famam nominis tui spargunt, coram veneretur. In vestro illo tractu aut vicino hæsurus est, si amici volent; & ex intervallo te visurus, ut boni Amoris auspiciū firmet. De me verò ex ipso intelliges. Librum ultimò à te editum nondum vidi: utinam te mittente habeam, & legam! per Clarissimum SACCVM id poterit, à quo exemplar mei Somnii accipies. Vides quàm ego subdolè? ludicra mea mitto, ut seria tua impetrem. Sed quid est? tu me docere; ego, ut ætas mea est, recreare te possum. Faciamus. Vale, Lovanii, xv. Kal. Septemb. 100. viii.

EPISTOLA XXXIV. *Bruxellam.*ALOYSIO VEREYCKEN, *Audientiario.*

**H**ESTERNVM diem inter nefastos numerare Gratitudinis religio jubet. Bruxellæ fui, & in Laris tuilimine : ut pro accepto nuperrimè beneficio obligationem coràm profiterer. Non licuit ; atque id infortunium meum fuit : quasi admittere humanitatis tuæ affectum sciam ; agnoscere, sive aestimare nesciam. Sed carebo istâ quidem culpâ : agnoscere & testari volui. Si quid etiam culpæ , à magnis negotiis tuis excusationem derivo. Nam in tanta dignitate hæc Virtutis occupatio est , ut dare beneficium vacet, audire gratiam non vacet. Hanc igitur brevi istâ epistolâ indicare volui : me verò meaque omnia in perenne obsequium transscribere, quod & Litterarum & Reipublicæ caussâ debeo. Vale Amplissime Vir, longumque illibatam ætatem age.

EPISTOLA XXXV. *Mediolanum.*RAPHAELI MONTORFANO *suo.*

**B**REVIS ero ; re, non verbis loquar. Hoc amici est. A BIFFIO epistolam versùsque accepi. An vidiisti ? boni sunt , & altæ non dictionis tantum , sed mentis. *Vt summa s̄æpe ingenia in occulto latent !* Felix quoque CELLA erat, de quos scribis, & amicus vestris Mitis : nunc desiit. Quid mortales sumus ? quod nomen indicat, & caducæ quædam umbræ. Funus suum quisque à natali orditur; hoc unum agimus, ut moriamur. Sed

Sed quotusquisque tamen sciens hoc agit? Mors omnis improvisos occupat, & vitæ quotidie vota protollimus, tamquam aeterni. Sapiamus, & lucem unamquamque sic transfigamus, tamquam non reddituram. Durum id fortassis? sic tamen mollienda mors est, quam horremus & fugimus, tamquam malam: nos sumus, si fugimus, ac vivendo fatum exasperamus. Sed quid ago, & quò labor? severa nunc nimis ista procepistolâ; nisi tamen in omni negotio hæ cogitationes usurpandæ. Conor mi MONTORFANE, & experiri vires meas incipio, an sapientiæ sufficient. De illo puero, Lavernæ filio, sic semper suspicatus sum, *μονοσύλλαβον* esse, tribusque nomen ejus litteris posse exprimi. Rectè igitur, quòd in malam crucem abire jussieris. FAUSTVM manere brumâ istâ patior, capturus consilium ex rerum mearum eventu. Descriptiones & Imagines expecto, & in primis illam MEDICÆI. BREDAM meum amma & complectere: tuâ sponte voles, cùm pernoveris. Solida omnia ab isto ingenio exspecto, & quæ recusent mori. Sed longior sum, & ad verba relabor: defino, te tuosqûe salvere jubeo. Lovanii, vii. Eid. Novemb.  
∞. IOC. VIII.

## EPISTOLA XXXVI.

EVERARDO SCHELÆO S.D.

**E**PISOLAM velut animi tui imaginem exosculatus sum, in quâ candor et humanitas spirare mihi visa, & elegantiæ melioris uberiorisque Doctrinæ. Sanè magnarum virtutum Modestia comes est: hec tua, & magni in me amoris index. Etenim sic provocari,

cari, honorēm censeo: jam tali interprete felicem voluptatem. Novi Gratias suavissimi PLOVIERI, & quid affectus interdum peccet. Laudare amantium est: ille verò hoc laudando consecutus, ut novum mihi amicum cōciliarit, & quidem in primā classe & ordine habendum. Peccem, nisi faciam, nisi tantum virtutibus tuis tribuam, quantum proxeneta noster eas effert, & mereri politissimæ scriptioñis tuæ Suada testatur. Breviter: amori cultum persolvam; atque hoc auspicio duraturæ Amicitiæ tibi fidem signo. Adjungo nescio quid mearum lucubrationum, & peccare familiaritate incipio, ut & in libellis tecum loquar. Vale Vir Nobilissime, & amare sic perge. Lovanii,  
iv. Kal. Majas 1500. C. IX.

## EPISTOLA XXXVII.

PETRO ENRIQVESIO GVSMANO.  
Comiti FONTANO.

**P**ECCARE videar, nisi relabentem in se annum voto excipiam, faustumque Excellentiæ tuæ apprēcer. Faustum inquam, quem gloriosum vivendo facies, pariter & regendo. Ut sine die solem nostro in cæli fornice currentem non habemus: sic nec tenuerūtitem, sine publicâ ævi luce ac felicitate. Prudentiæ, Virtutis, Pietatis cōstantes radios circumquaque mittis; imò illustras quicquid Maximus ille Regum regit. O perennes igitur illi sint, cùm ætate & maiestate senii non venerabiles tantum, sed vegeti, & omnem extra morbi nubem lucentes! Vitæ quædam velut hiems senectus est, canis nivea, frigore hispida, lan-

guore

guore nubila: sed tua ut pura ac serena sit, & pro animo robusta, Deus faciet, ille purus, ille serenus, & origo unica omnis boni. Nobis quidem nec valere, imò nec vivere suave erit, nisi utrumque illud Excellentiae tuæ contingat. Ergo de nostris annis annos tuis ipse temporis pater adjiciat; de nostro robore tuum firmet. Hoc votū meum est. meum? imò bonorum omnium, qui florere Regis sui imperium cupiunt, aut propagare. Ego cupio, & ut tantam magnitudinem stilo quandoque complectar. Sic votum meum repeto, ut vivas valeasque, & benignus conatibus meis sis. Lovanii, v. Eid. Ianuarii, anni novi ∞. IOC. IX.

E P I S T O L A XXXVIII. *Ruramondam.*

R. V. C H R I S T O P H O R O H O M P E S I O.

**I**N ipsis amicitiæ adytis locavi nomen tuum, mi HOMPESI, & sacravi. Candor, ingenium, mores merentur, quibus frui deinceps, etiam familiariùs, suave mihi erit: atque utinam aliquando coram spem aliquam BONERVIS fecit, atque adeò mox venturum te retulit, & in tranquillâ hac sublimiorum studiorum statione aliquantis per hæsurum. Si me audis, facies: pietati atque dignitati tuæ Sacrarum quoque Literarum studium junges. Non arderè satis est; lucere te volo, ut scias & loquaris Deum, quem possides; ut propugnes cælestia religionis arcana, quæ tractas. Invalescunt prava dogmata: Doctrinæ & facundiæ piis obstatulis opus: novis facibus novæ tenebræ expugnandæ. Nos quidem in nocte istâ temporum & opinionum salutare Fidei lumen non deseret, si fovemus &

G produ-

producimus , & novo die dignos nos præstamus.  
Hunc sic quidem Divinæ Clementiæ radius, velut Sol  
benignus, reducit; & nubes istas omnes pellet, quæ co-  
guntur. Interea dum pericula urgent, sumendum ro-  
bur est: boni exempli, sed & Doctrinæ arniis pugnan-  
dum. Istud promis, hanc sumes jungesque, mi HOM-  
PESI , ut inter triarios sacræ nobis militiæ sis , & vin-  
cas. Hoc votum meum est, & ab amore tui natum. A-  
morem autem, ut dixi, candor, ingenium , mores me-  
rentur. Vale , & amare vicissim perge, imò compella-  
re. Lovanii , iiii. Kal. Iunias , 100. IX.

EPISTOLA XXXIX. *Lugdunum Bat.*

DANIELI HEINSIO, V. C.

*& omnis eruditioñis exemplo.*

**Q**UÆ mandaveras , curata sunt : ad Optimum &  
Candidissimæ Humanitatis virum REMACLV  
ROBERTIVM scripsi , abitum excusavi. Hoc ta-  
men magnæ virtutes tuæ faciunt , ut subdolere , imò  
verò & tristari debeat , etsi necessariam festinationi  
veniam concedat. De meo affectu ceteros amicos ju-  
dico , & nunc videre te magis cupio, postquam vidi ;  
habere, postquam habui , & otiosè Doctrinâ & cando-  
re tuo frui. Itaque ad scripta tua me recipio, postquam  
vox & vultus subtractus est , & admirandas divinas-  
que ingenii dotes contempnor. Orationes & Epicedia  
jam in manibus mihi sunt; de quibus nisi id sentiam,  
quod tribuere vix ævo nostro fas sit, in ipsam eruditio-  
nem peccem. Sed ista apud alios malo , nequid largiri  
auribus tuis videar : etsi qui possim, cùm à fupo & fal-  
aciis

Iaciūs alienū me perspexeris, & liberū virtus testi-  
monium mercatur? De itinere tuo sollicitus sum, ob  
crudam & commotam istam auram, quæ & ipsa ægre  
discellum tuum ferre, & impedire quodammodo vi-  
dcatur. Facilem igitur & faventem precor, & lenire  
desiderium meum paratus sum, ut sine impedimento,  
sine injuriâ aëris proficiscaris. Hæc enim voti sum-  
ma est, ut feliciter tibi sit. Sie vale, & me tuum ama.  
Lovanii, iv. Eid. Septemb. 100. ix.

## E P I S T O L A XL.

MAXIMILIANO PLOVVIERIO,  
*Viro Nobili & Amico.*

**F**ACVLÆ præfationem nondum Typographo de-  
di. Quæ cauſa moræ? tu ipſe: ut videas priu-  
quam imprimatur. Id cupio, argumenti in pri-  
mis cauſâ. Ad quem scribo, Legatus ad Pontificem i-  
vit, & Serenissimo LEOPOLDO à consiliis esse meruit.  
Ne sermonem circumducam, HOLLANTIVS meus est.  
De bello an filere debui? ſaltem vota interponere pro  
felici eventu, & tranquillitate. Cochlea tuæ, verè co-  
chlea ſunt, quia tardæ. Vides, ut liberè. Exigere jam au-  
deo, quia petere ſuſtinui: ſed humanitas tua me auda-  
cem facit. Mihi verò iſto nunc cibo opus, ut vietitem.  
*ἰχθυοφάγος* non ſum: ſed vel odore ſatur redeo, quoties do-  
cui. Forum noſti: Auditorio vicinum eſt, & jam pro-  
ximam plateam occupavit. Circumquaque Ichthyo-  
polæ habitant. Mirum cùm muti pifces dicantur, pi-  
ſcibus tamen linguas cingi, & loqui. Hic verò etiam  
plerumque mortui ſunt & veneunt. Eſſe quod garru-

litate vincat, naribus experimur. Scripseram utrumque hoc CORNELIO VALERIO monumentum: utrum præferas, scire velim; sive an damnes utrumque. Postquam lamina parata, aptanda verba fuerunt: exspatriari ingenium non potuit. Sed nónne hanc liberalitatis pietatem in Optimo & Amplissimo GEORGIO AVSTRIO nostro laudas? Tanti erat, sine Epitaphio Doctissimi quondam Viri ossa jacere, ut quo honore dignus fuit, sciretur, postquam neglectus. Ergo pertot jam annos sepulchrum ejus nescivimus, cuius scripta leguntur: & videntur seduli nescio qui homines pecuniam, ad sumptus cenotaphii reliqtam, cum cadavere sepelivisse. Bene habet; è Discipulis superest, qui Magistrum estimat: & lubens ego scriptionis operam Viro magno impendi. PALÆSTRAM promoveo. Sed utinam te præsente frui per horas aliquot possem! Habeo, de quibus ex communi consilio velim statuere: non studia tantùm mea, sed familiam spectant. Et an cras venire poteris? Veneris erit, & respirabo à lectione, quā claudere septimanam soleo. Ergo sileo; & exspectare te malo, quā plura scribere. Veni.

E P I S T O L A X L I. *Mediolanum.*

SONCINO ET ALEXANDRO SICCIS  
ARAGONIIS, Patri & Filio.

**N**VNC verò sine interprete vos alloquor, Optimi & Nobilissimi Viri: & meā manu affectum vobis consigno, quem alui. Quod in terræ antris visceribusque fierisoler; id in meo pectore. Amor, velut aēr est, sed crevit, intumuit, totumque jam me concutit & erumpit. Ergo & tremente, id est, amante istuc hæc

hæc manu scribo, & ad vos anhelo, saltem brevibus a-  
vidissimè mentis notis. Imò verò adsum eâ parte mei,  
quâ nunquam abii: atque etiam, quâ divelli nequa-  
quam possum. Tibi adhæreo, optime Pater; tibi, op-  
timi Patris optime Fili; sed utrumque tamquam Pa-  
trem complector, sic expertus. Paria utriusque in me  
beneficia sunt, & profectò quasi ab uno profecta.  
Compendium ego quoque obligationis quæro, ut u-  
ni duntaxat debere videar. Omne igitur id discrimē,  
quod Natura in vobis, & ipsa Pietas fecit, ego confun-  
do: sic bonus piúsque, quia confundo; cùm totum fi-  
lii officium à me vobis debeat. Sic vester vivam; i-  
mò, quando Deus volet, moriar vester, non affectum  
tantùm utrique, sed reverentiam (ubi & quamdiu e-  
ro) depensurus. Vale, tu uterque meus Pater, & me  
ama. Lovanii, xii. Kal. Decemb. 100. IX.  
MONTORFANVM meum non minùs carum vobis cupio,  
quam me ipsum.

EPISTOLA XLII. *Antuerpiam.*

IACOBO ROLANDIO,  
*Iuris consulto Clarissimo.*

**V**T amorem ostenderem, experiri post alios in-  
genium in Epitaphio isto volui: quo eventu,  
tu judica. Ludis, inquietis, & laborioso sententiariū  
acumine argumentū consumis, lectorē occupas. Fate-  
or; & bene; si non ipsis quoque Manibus jam mole-  
stus sim, qui brevem simplicemque sermonē amant,  
& aprum Modestiæ cippum! Quid igitur? Videbis  
Inscriptionem m̄eam, tuam pones: in quā tamen no-  
nun  
G 3  
tare

tare ausus fui, quod videbatur aptiorem juncturam facere, si Relativum accederet, & Desideratissimus profuisse diceretur potius, quam Desideratissimo positum monumentum. Cæsim verò loqui si lubet, oratio tua perfecta est, imò venustatem habet. Sed quod populi judicium, quis sermo in his talibus?

----- *Vt per lare severos  
Effundat juncta unguis.*

Ergo rimas, imò lacunas in meo hīc quidem opere invenies; & si ἔχοντες occēperis, hærebit ubique digitus impactus. Quicquid sit, placere tibi obsequio potius duxi: placere deinceps, ut incrementum Amicitia capiat, haud infeliciter incohata. Ama affectum meum, & in me jus habe, imò in Inscriptiunculam istam, quam aut corrigere, & imminuere poteris, aut planè abjicere. Vale, & repentinum hoc scriptioonis officium benignè interpretare. Loyanii, x. Kal. Iun.

cc. 150. IX.

### EPISTOLA XLIII. *Bruxellam.*

REMACLO ROBERTIO, V. N. & Amico,  
*Annonæ Militaris Provisori.*

**R**E PENTINO impetu in te ruisse morbum, cum dolore intellexi: hæsisse etiam, & tanquam minatum esse moram. At ego ab ipsâ vehementiâ bene sperare cœpi: ut ventos videmus, cùm per iram velut surgunt sœviuntque, mox sedari. Sanè & tempestibus quibusdam obnoxium humanum corpus: nec quisquam tam felix, cui valetudo sine noxâ contigerit. Cælum ipsum nubibus obducitur, astra laborant, eleminta

menta turbantur: & infra hæc tamè mortales vivimus, imò & jacemus. Quid ergo? in morbo aliquo sumus? Sic natura jubet. Vices istæ ferendæ sunt. In corpore fieri cogita, quod in domo solet: facile vitium aliquod obrepit. Nunc tegulæ franguntur, nunc murus hiat, nunc trabs fatiscit: sed utitur fabri operâ Paterfamilias; ne cum morâ damnum crescat, tempestivè sarcit ædes. Paria verò mala nostrasunt: in capite, pectore, ventre, totóque adeò homine ægritudinis & doloris semina. Nostrum igitur est, cùm succreverunt, succidere, ferre morbum, ut tollamus: tollere enim, ne feramus, non licet. Primum pharmacum, constantem animum puto: tum temperantiam, & rationem quandam alimenti. Si Medicus accedit, is valetudinis tanquam faber esse potest. Bene spero: respiciet bona te Hygeia, & valentem nobis reddet, in quo nunc amici nos tui simul ægrotamus. Quid mirum, si languidam hanc quoque epistolam vides? vigor meus à tuo pendet. Conscripteram verò FACVLAM istam DISPUTATIO-  
NVM, quam adjungo: utinam talem, ut solatii aliquid dare possit, & morbi quoque caliginem dispellere! experieris. Filium rediisse è Galliâ PLOVIERIVS noster indicavit: ego eum quando voles, in domum, & simul pectus recipiam: in Scholâ, in Palæstra pariter formabo. Convalesce. Lovanii, xv. Kal. Maii. 100. x.  
Conjugi, & uniuerso Lari salutem dico.

## EPISTOLA XLIV.

PETRO MANTVANO S. D.

**P**RÆCLARA s' ingenii tui dotes nisi æstimé, pecare profectò in omnes Musas Gratiásque videar. Tux utræque illæ sunt, & in te habitant; imò tuæ dotes,

dotes, Musæ Gratiaæque. Non me SANDERIVS meus fallit, non tu ipse, qui & fastum Poëtae illius reprime-re, & imperitiam detegere ausus. Euge' paullatim vi-debit, quæm turpiter & pertinaciter erret, qui scire se omnia arbitratur. O hominem non hominem! tam-quam erroris expers ingenium suum jactat, & impe-ritiam propugnare mavult, quæm corrigere. Sed hanc voluptatem mihi nescio quæ sors invidet, ut nancisci nequiverim, quæ scripsisti. O MI MANTVANE, utinam adsim, & operam quoque meam jungam, impendam-que tibi, tam strenue, tam feliciter pugnanti! Auspi-ciis optimi Principis summique Patroni nostri quid non possim? cauſâ tuâ quid non velim? Quis scit? bo-na vota fortassis Deus respiciet, ut unâ simus, agamus, scribamus perennes. Quæ tum felicitas mea! quæ vo-luptas! Sed juvare tu in primis poteris, si Principi, cui familiaris es, & qui multū tibi tribuit, quod cœptum est agi, commendabis. Fac mi amice, & incrementum aliquod communibus studiis adfer, quod humanitati tuæ ascribam. Negotii summam SANDERIVS noster explicabit. Vale. Lovanii, Prid. Non. Novembris,

cc. Icc. IX.

### EPISTOLA XLV.

Io. BAPTISTÆ SACCO, V. C.  
Senatui Mediolanensi à Secretis.

**D**OLOREM meum tuo socio, Optime & Clarissime Vir, & commune puto vulnus, quod te cōficit. Quid tamen est? jacebis, & vulgi morem lu-ctumque exprimes? Tolle, tolle querelas istas; nec pa-trem te ostende solùm, sed virum. Tua illa erat, filia e-rat,

fat, sed ad hoc nata, ut aliquando desineret. Felicem  
 puta, quod præcesserit, quod vitæ miseriæque circu-  
 lum exantlaverit, in quietem ac tranquillitatē transla-  
 ta. Sic est: confide, nec redire velit, si optio hæc detur.  
 Quid felicem animam querelis lacestissimus? quid pla-  
 cidissimum somnum singultibus inquietamus? Dor-  
 mire cense, & istâ facie, isto corpore ad æternæ lucis  
 usuram mox reddituram, quibus et si venustissima, mor-  
 talis tamen fuit. Interea purissimi Manes cælo & Deo  
 fruuntur, curámque tui gerunt, & tuorum. Hoc ipsum  
 relictis nunc liberis solatio sit, inter Cælites Matrem  
 habere. Et quid est? Non vitâ solum, sed ipso mortis  
 genere beatissimæ æternitatis præmium commeruit:  
 nec glorioius feliciusq; ponere vitam mulier potest,  
 quam in puerperii agone. Et quoties tamen tua illa  
 LAVRA, cum lauru, & palmâ, & victoriâ evasit? quam  
 copiosam dedit prolem? Herculis labores pauciores  
 sunt. Sed nunc supersunt quoque, in quibus mater vi-  
 vit. Soletur te ipse liberorum vultus: immo, ut paucis di-  
 cam, soletur necessitas. Morimur omnes, & jam cœpi-  
 mus, ex quo nati. Quicquid ætatis retrò est, mors tenet. Tua  
 pervenit, & ad eandem omnes metam properamus.  
 Sed pervenire quis voluit? Deus, mi Amicissime SAC-  
 CE, Deus: an huic refragemur? Itaque erige te, & nu-  
 mini acquiesce. Erige te, & à virtute, non à tempore  
 consolationem pete: à te te ipso, non ab amicis. Quid  
 Religio, quid Sapientia, quid Doctrina possit, cōstan-  
 tiæ exemplo ostendes. Vale, &, si valere me vis, hi-  
 laritatem admitte. Impetu & affectu scripsi. Lovanii,  
 iii. Eid. April. 100. loc. viii.

ERYCI PUTEANI  
EPISTOLA XLVI. Bruxellam.

ALBERTO STRUZZIO, Viro Amico.

**V**ARIÆ occupatiunculæ & curæ scripturientem me hactenus impediverunt, quas h̄c explicare superfluum puto. Non severè enim silentium interpretabere, quod sine damno amoris fuit. Hunc alio te & humanitatem tuam cogito, & Genium illum amicum. Ejusmodi fortunæ tux sunt, ut despicerre aut negligere consuetudinem meam possis: sed ejusmodi animus, ut fortunas longè superes. Mavis benignus, quām magnus esse; & cūm alii ament, ut beneficia accipient, tu amas profectò, ut præstes. Ego experior: nec jam amorem tibi debeo, sed cultum. Obstrictus sum: & sic me gaudeo tuum esse, ne unquam desinam. Vale tu modò, & vive, ut frui tam bono amico, & patrono, & hospite diu possim. Iterum dico & vovo: Vale & vive. Quæ communicem porrò habeo: sed corām, quām litteris malim. quando fiet? lectiones meæ me detinent occupantque: nisi tamen Bachanibus, quæ approperant, excurram. Vxor mea tux salutem & felicitatem precatur. Lovaniij xi. Kal. Febr.  
oo. Icc. x.

EPISTOLA XLVII.

CHRISTOPHORO VAN ETTE, V.N.

**S**criptionis hujus argumentum Amor & Cultus est, sincerus uterque, & ab omnibus sicuti ævi deliciis alienus. Amorem certè humanitas tua, modestia, candor merentur: cultum, maturæ prudentiæ insignia & virtutis. Magnum te jam vocarem merito,

ritò, nisi ad majora etiam innata Genii quædam ma-  
 jestas duceret, & exemplum paternum invitaret. Pul-  
 chrum hoc profectò, posse ad altissima honorum ad-  
 scandere, industriâ, favore, famâ; sed gradu virtutis vel-  
 le. Viam certè ingressus es, & in illâ urbe, quæ ut inter  
 alias elegantiâ & splendore eminet; ita eminere suos  
 facit, à quibus regitur, pari dignitatis & probitatis  
 prætextâ. Tu quidem ibi emines, ubi civem esse et-  
 jam summus honor est: ibi Senator es, ubi virtutis &  
 prudentiæ rugas citra ætatem Curia æstimat. Aliquid  
 senile in te esse confessi sunt, qui latoclavo donârunt:  
 neque enim aut ambitione, aut lucrivo proiectus  
 es; cùm paternis divitiis explere animum, etiam cupi-  
 dum potueris, & honoribus illustrare. sola Honestas  
 & studium Patriæ impulit. Ergo nō accipere, sed pro-  
 movere Famæ Fortunæ quæ benignitatem voluisti: imò  
 verò spernere, ut dignus viderere. Quàm pingui otio  
 frui tibi licuit, atque adeò quàm honesto! sed Reipu-  
 blicæ causâ non occupari, vile & ignavum censuisti.  
 In medio, ut ita dicam, rerum pelago Pater sudat: por-  
 tum occupare Filius potest, & spernit. Patrem non ag-  
 noscit, nisi quem sequatur. Overè insigne hoc tuum  
 prudentiæ dicam, an pietatis decretum! utramq; certè  
 complexus es: prudentiā quidem, cùm summum in-  
 genium Reipublicæ impendas; pietatem autem, cùm  
 paternæ exemplum vitæ vivendo imiteris. Sanè, ut  
 hæc initia sunt, lætari pater potest, quòd tales te ge-  
 nuerit: lætari Vrbs ista, quòd tales acceperit. E-  
 go utrique gratulor: sed te amare & colere pergo,  
 quem frequenti etiam litterarum internuntio affa-  
 ri, suavissimum erit. Vale, & hoc scriptio[n]is quoddam  
 auspiciu[m] puta. Lovanii, xiv. Kal. Octo. 150. viii.

60. ERYCI PUTEANE  
EPISTOLA XLVIII. *Mediolanum.*

VITALIANO VICE COMITI BORROMÆO.

**G**ENEROSVS ardor in dolem tuam ad doctrinæ decus stimulat, ô præstantissimum avitæ Nobilitatis germen; ut scire ea velis, quæ in deliciis summi olim Principes habuere & Reges; ut possidere, quæ omnem Fortunam ornant, nulli obnoxia. Sed quid ni liberè dicam? jam scire & possidere incepisti: & quia familiarem tibi eruditionis usum habes, ostēdis nihil in homine melius animo esse, si colatur: hunc autē à scientiâ & virtute cultū sumi. Maestis Generosissime juvenum: habes quod verè tuum est; & cùm ejusmodi scintillas videmus, inesse pectori tuo divinum aliquem ignem colligimus. Scintillas voco litteras, quas accepi, elegantia simul & humanitatis plenas. Evidem ut legi ingenii istam felicitatē, maximæ familiæ, & quæ familiâ quandoque minor fuit, maximæ urbi gratulatus sum. Iam quod meum gaudium, quæ voluptas! dignum me amore tuo censuisti. Maximum id profectò encomium est, cùm vehementer laudare videaris, quem sic complecteris; imò cùm scripta mea aliqua laudes, ut caussam amoris exprimas. Quid igitur? tu me Amicum, ego te Patronum Dominumque eligo, & jam animum atque ingenium Illustrissimo tuo nomini devoveo, culturus herōicam illam in dolem, quâ te conspicuum in Iuventute Italica facis: culturus elegantiam & benigniores naturæ dotes, quibus ut maximè dignus es, strenuè uti voluisti. Porro utere, & me ama, qui ad omne obsequii genus paratissimus vivam. Vale & vive. Lovanii, iv. Eid. Septemb. 100. lcc. x.

EPI.

## EPISTOLA XLIX.

V D O M A Z E N T I O .

**D**I LIGENTIAM meam humanitate vincis ; & scribendi officium, quod meum erat, stilo tuum facis. Sic amare, parum est; nisi & ostendas? Ego verò & amore capior, & amoris tui signis. Cujusmodi enim sunt? non minus lepida, quam vera: calida, non callida, *sne fuso ac fallaciis*; **M O R E M A I O R V M**. Nubes imbre, pruna stricturas mittit; aqua aquam, ignis ignem: sed epistola tua & aquam habet; nam ab amore liquet: & ignem habet; nam ab amore fervet: ipsa amor est. Quid rependam? epistolā, & sic amorem. Atq; hoc quod vides, vtriusq; duntaxat libamentum est, ut scias & scribere me velle, & magis amare. Nec enim paucæ ac repentinæ hæ voces conficiunt tibi, quantū cupio quantūque debo, sed promittunt. Ut deliciarum quodā antecœnio sive illico initiandi convivæ, prius quam cœnent: sic amici, in commercio scriptionis. Qui obsonatum eunt, cùm emturiunt, prægustant: sic ego: scripturūsque, velut periculum facio stili. Äquum id quoque, præsertim post longas itineris ambages & ferias, quæ infrequentem mihi scriptionem, sterilemque reddidere. Expressi tamen properante in Patriam animo calamoque **L A V D A T I O N E M I V V E N T U T I S B E L G I C A E**. atque illa (faventis Genii beneficium est), ipsæ festinatione in librum excrevit. Multa enim scripsi, dum celeriter pauca conatus sum: & cùm finire poteram, argumenti terminos produxi: cùm ingenio usus essem, tempus quoque impendi. Videbis, & ad hoc exemplum filiolos tuos habebis, ut Patrem referant, &

H 3.

reipu-

reipublicæ adolescent. Vale , & cum nomine meo,  
quod publico marmore æternum facere conatus es,  
affectionem cultumque dicatum tibi habe. Lovanii , in  
Musœo Lipsiano, Postridie Kal. April. &. Icc. vii.

## E P I S T O L A L.

Io. ROBERTIO, Societatis I E S V  
Collegii Paterbornensis Rectori.

**A**R G U M E N T U M non uni tentatum, experiri &  
ego stilo volui : quid præstiterim, tu judicabis.  
Mortales quidem inter mala CÆCITATEM nu-  
merant ; & sine oculis vitam tamquam mortem ha-  
bent. Hunc consensum quis expugnet, nisi qui  
---- *Socratico plenus grege mittat habenæs*

*Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma?*

Bene tamen est, quòd ad Cæcum scribam. Facile enim  
feret vitium , quia tollere non poterit: & Consolatio-  
nem admittet, qui jam dolorem superavit. Animum  
& virtutem CRIP II nostri opinor nosti: ac nihil dixisse  
videar, si constantiam viri æstimes , qui exemplo suo  
dictare hanc ipsam *ταπεινοθειαν* poterat, quam conscripsi.  
Neque tamen sterilis hæc mihi opera futura est, cona-  
tus modò scribentis æstimetur , & affectus. CÆCITA-  
TEM ipse quo animo digerere cupiam, brevi verborum  
ambitu indicare volui: alienam caliginem, ceu meam  
examinavi & cōtempsi. Supereft, ut quid tu sentias, vir  
Doctissime , & in iisdem mihi Scholis in eodem ali-  
quando contubernio juncte , intelligam. Apud non  
Cæcum, quos amo, laudare oculos paratus sum; meos  
impendere potius, quam ut tu cæcutias. Vale, vitâ &  
oculis

oculis fruere, & me tanquam veterem Condiscipu-  
lum ama. Lovanii, Prid. Eid. Septemb. &c. Icc. IX.

## EPISTOLA LI. Bruxellam.

LEONARDO DE TASSIS,

Baroni S.R. Imperii.

**V**ID hæ litteræ velint, paucis aperiam: Munu-  
sculum ad te ferunt, sed Musicum, & ædiculæ  
vestræ consecrandum. Ex Italiâ accepi, & hoc  
solo nomine possum commendare: etsi jam illi vestri  
vel Italiani superent. Evidem melos istic nuper hau-  
si, qualem nescio an hi libri dabunt. Melos, flatu, fidibus  
que, sed & suavissimarum vocum harmoniâ tempera-  
tum. Numen ipsum, Cælumque in sacrario sensi: ac  
despicere Parnassum ausus sum. Suavius profectò  
Deus laudari non potest. Sed felix illa domus, in qua  
splendorem Pietas superat! Felix Dominus, qui deli-  
cias suas Deum habet! Tu verò Optime Adolescens,  
hæc vestigia sequere, Litterarum studiis ~~erubescas~~ junge,  
ipsamque Musicam, à Deo hominibus datam, ama.  
Me etiam, qui indoli, ingenioque tuo ex animo faveo,  
& nomen perenne appreco. Habet ductorem tuum,  
IOANNEM VASAEVM, virum probum, doctum, indu-  
strium: hunc audi, cumq; puta, à quo, quod optimum  
in omni vitâ erit, haurias. Ego quicquid possum, lu-  
bens tibi addico: & si quid scriptiones meæ aut libri  
juvabunt, inter primos eris qui legent. Vale, & peril-  
lustri Avo tuo cultum meum indica. Ductori tuo, &  
Candidissimo PHILIPPO SALMSLAGIO, reliquisque sa-  
lutem. Lovaniv. Kal. Martii. &c. Icc. x.

EPI-

## EPISTOLA LII.

PAVLO MARIAE & IO. BAPTISTÆ  
MONTORFANIS.

**B**E NE sperare cœpi : pergitis in hac viâ studio-  
rum, & experiri stilum jam audetis , ut principia  
sunt, non infelicem. Gavisus mehercle fui , cùm  
epistolam nuper legi (& utrius dicam ?) epistolam  
Latinè & concinnè scriptam. Conspirasti opinor : &  
sic decuit. Nam suave mihi , in unâ utrumque paginâ  
videre. Fratres estis , pari etiam auspicio tractare has  
Litteras cœ pistis , & Minervam colere : ut parem et-  
jam fructū colligatis , ingenium utriusque pollicetur,  
& industria faciet. Sine labore vinci prima Litterarū  
ruditas non potest ; nec haberi Eloquentia sine exer-  
citatione. Ver nunc ætatis vobis agitur; serendum est,  
sudandum est , ut fœcundus vitæ Autumnus succedat.  
Otium aut ignavia neminem unquam doctum fecit.  
In sublimi Musæ & Apollo habitant; scandendum est:  
in plano Sirenes , & ad vana abducunt. Ipsi libelli,  
quos discitis, & geritis quotidie, excitare vos debent;  
clara & victura nomina , quamdiu Litteræ quidem  
vivent. Nam opinor in Cicerone, Terentio, Virgilio,  
Cæsare vos esse; & tam magnorum virorum famâ affi-  
ci, quæ tot secula penetravit. Principium profectus est,  
amare auctores , quorum monumentis erudimur. isti  
autem partim antiqui, partim ctiam novi sunt: sed no-  
vi tamen non promiscuè estimandi. Paulatim videbi-  
tis : nunc verò gnavos vos esse jubeo; & eos sequi, qui-  
cumque ad Doctrinam & Virtutem hortantur. In pa-  
tre habetis, quod inflammare pectus utriusque possit.

Huic

Huic placete, me amate. Lovanii, III. Eid. Decemb.  
∞. 150. IX.

## EPISTOLA LIII.

MAXIMILIANO PLOVVIERIO V.N.  
*Corculo suo.*

**S**to promissis, & scribo. An satis? imò & LVCIVM  
meum laudo, qui glomerante obsequio totū iter  
emensus est. Festinare & ipse domum videbatur.  
Nil saxa, lutum, lamæ obfuerunt: & vin' ut gloriosius  
aliquid dicam? PVTEANVM vehebat. Sanè stabuli deli-  
cias meruit, & in cœnam panem accepit. Bona ei Hip-  
pona propitia sit; in gente equinâ nomen aliquod de-  
cūsque inveniet. Spatha ALEXANDRO gratissima fuit,  
non tam quia armari ille cupidus, quam quia ornari.  
Sed gratias ipse dicet. PALÆSTRAM tibi nostram com-  
mendo; & ne remoram accipiat, votum meum est.  
Optima placere omnibus non possunt. Sed aut hoc in-  
stituto, aut nullo, quantum Litteræ possint, Iuventus  
experietur. Vale, Lovanii, iv. Kal. April. ∞. 150.X.

EPISTOLA LIV. *Brugas.*

LUDOVICO LOPE GALLE, *Viro Perillustri,*  
*Baroni De VORMISELLE.*

**S**i quisquam est mortalium, qui generosâ humani-  
tate amicum complectitur; eum te esse liberrimè  
possum profiteri. O pectus divino rore imbui-  
tum! O ingenium cælo dignum! Insigniter obstri-  
ctus eram, & adhuc debere te scribis? Pauci profecto

sic conferunt beneficium, ut gratiam excludant: tu et jam gratiam dicis, cui beneficium contulisti; oblitus fortasse, quam liberali me quandoque affectu complexus sis. Sed ego meminisse saltem possum, ne ingratus sim. Hæret impressa pectori meo vetus beneficentia illa tua; hæret amor in me, & in res honestas, quem certissimo signo expressisti: non cunctanter, & tanquam deliberares, quanti Doctoris opera esset; sed tanquam infra Doctrinam munus omne putares. An plura dicam? æstimasti amicum, cui benefaceres: & ego beneficium debeo, à Viro tam illustri & amico acceptum. Debeo, inquam, & verè æstimo, cum inferiorès agnoscam vires meas, quam ut parem gratiam rependam. Sic suave autem in ære tuo esse: illi debere, quem amare suave est, & qui ipse scopum hunc beneficii habet, amari. De itinere meo Hispanico incerta adhuc omnia: neque sic anhelo, ut me Patriæ pœniteat. Munus honestum est in quo versor, stipendum mediocre, valetudo bona. Doceo, scribo, & quantum licet, publicè prosum. Iam familia mea incrementata quoque cepit. Liberos mihi uxer quinque dedit, masculos omnes, & fortassis plures etiā dabit. Ego nunc rogare te audeo, per illustris Domine, ad nos excurras, hospitio meo utaris, Vrbem & Academiam nostram lustras. Hoc profectò inter summa beneficia habebo: & verè amari me putabo, si veneris. Aura ista bona & desiderium meum invitant. Vale, & feliciter age. Lovanii, x. Kal. Maii. 1500. x.

EPI.

## EPISTOLA LV. Bruxellam.

FRANCISCO KINSCHOTIO, Iurisconsulto C.  
Finantiarum Graphiario.

**Q**uis te calor ad amandum, quis amor ad scribendum excitat? meræ flammæ tuæ Litteræ, & suavi igni adurunt, etiam longinquum. Durum esse oportet, & totâ concretum hieme, qui non corripiatur: at ego molli pectore, pridémique tuus, flagranti hoc humanitatis officio in ardorem datus. An capere incrementum affectus possit, e quidem nescio: tu tamen augere benevolentia tuæ signa strenuè pergis; & quasi benè velle parum sit, etiam facis. Emere beneficia quædam poteram, & tamen debere. Onere & sumptujam secundùm me liberas, & expedita negotia mea reddis, in re stipendi & nummorum. Hæc liberalitas tua, quæ quanti momenti sit, aliorum me aliquando severitas edocuit, ac nihilominus obstrinxit. Ego mehercle studiis & ingenio meo gratulor, quite amicum fautoremque naëtus sum, Doctrinâ egregium, moribus & candore rarum. Nam

*Multi more isto atque exemplo vivunt, quos cùm censeas  
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,  
Linguâ factiosi, inertes operâ, sublesta fide.*

Et unde hi mores? ab avaritia & ambitione pessimis ævi morbis; utinam nunc meliori Pacis sive Induciarum aurâ tollendis! Syntagma meum argutè ac planè Laconicè laudas; & laudando (ingenue fatetur) superas. Quicquid toto libro conatus sum, brevi, sed absolutâ epistolâ exprimis, quam ego inter Bibliothecæ meæ delicias habiturus sum; te inter Amicorum.

Vale cum suavissimâ tua conjuge , & salutem Socero nuncia,elegantissimâque nostro ROSAEO.Lovanii, Postrid. Kal. Maii. 1500. ix. Primæ iterum feriæ Bruxellam me transferent;atque tum vel in ipso urbis introitu te videbo.

## EPISTOLA LVI. *Antuerpiam.*

Io. CHRISTOPHORO FLAVIO S.D.

**Q**VI & quo animo vota tua provexi , etiam cum filui, ab aliis audieris. Res in vado est: erigendæ & instruendæ Officinæ potestas data:nec est quòd livorem aut malignitatem boni conatus , id est, hi tui, metuant.quia communes juvas Litteras , & honestissimâ arte Fortunæ quæris auxilia; quâ publicè, quâ privatim, bonum te civem præstas. Rectè Græci: κοινὸς δὲ ἡρμηνεία. Audies igitur quorundam sermones , sed quasi non audias : ad rem & famam ibis , quam nulli detrahes. Multorum hæc via vestigiis premitur ; iri non sine omni collisione potest. Sed eundum est; negligendum, si quid minus auribus placet. Non favent aliqui? amicos respice , & in horum affectu conquiesces. De domo jam altera cura est, ut nō minus typi & præla, quam supellex locum inveniant. In tantâ urbe quæ sint angustiæ, nôsti : multumque hic consecutus est, qui bene habitat. Ut tu possis, ego & amici admitemur ; quorum affectum ego sequor , sed quem insignes animi ingenii que tui dotes merentur. Vale , & redama. Lovanii, 1500. xi Prid. Kal. Iunias.

EPI-

EPISTOLA LVII. *Antuerpiam.*  
 FRANCISCO SVVEERTIO S. D.

SILENTII mei caussa hæc fuit: nihil erat quod scriberem. quæ si apud te excusatio valet, argumentum ex intervallo subministra, ut loquax sim: si non valet, experire ipse an scribere possis, cùm argumentum deficit. HEINSII Poëmata, & Orationes accepi. an exspectas, ut laudem? tuo verbo, lepidissima & doctissima sunt: sed auctor ipse κατὰ τὸν ὄμηρον Ασεπόντιον περιέξεις. Si quis negabit & obstrepet; ille verò mihi αμφαπίσερός. Monumentum VALERII hīc habes, & adjungo ejusdem notæ quæ damnare possis, si aestimem. Imò hoc ago, & ostendo nugas meas, ne me occupies. Omnibus ego ut Epitaphium scribam? Nugaris ipse qui id petis: magis ego, si obsequar. Vale. Lovaniij,  
 xii. Kal. Maii, 100. x:

## EPISTOLA LVIII.

NICOLAO DAMANTIO V. A.  
*Brabantiae Cancellario.*

QVANTVM fiduciæ in meâ innocentia, Vir Amplissime, tantum præsidij in virtute, prudentiâ, æquitate tuâ pono. Neque hoc me terret, quod priores adversarii occuparunt. Audies reum, qui accusatores audivisti; tam benignus facilisque mihi futurus, quam illis fuisti. De luxu scripsi, & hoc primum velut crimen notatur: deinde edidi, & hoc secundum. quasi Auctor, & simul Typographus deliquerint.

De me prius dicam, id est, de ipsâ scriptione. Quid igitur illa habet, quod unam aliquam Vrbem merito offendat? Mens mea fuit, communia aut plebeja paucorum vitia reprehendere, sobrietatem modestiamque inculcare: & in hanc metam tota illa Epistola directa. Hem! crimen erit, pro Virtute loqui? verbum unum aut alterum malignâ interpretatione in hunc aut illum potest acui: an igitur omnes; an hos ipsos ego læsi? O bone Deus, quo seculo vivimus, quo scribimus! Itane odium vitiorum profiteri non licet? Quid reliquum est, nisi ut sacra quoque pulpita sileant, ut scholæ claudantur, ut Sapientia exulet? Veteres plerique scriptores tollendi, si hic Libellus: quia pariter vitia isti publica feriunt, & defectus nostros loquuntur. Quid? Seneca ipse, quem nemo non æstimat, nemo non veneratur, ita epistolæ cxxiv. scripsit, ut ego hanc unam: plane ut in nostros hos ivisse mores videatur. Facebat igitur calumnia. Licuit omni ævo Luxum compungere, morum spinas vellere: nostro denique, id est, Christiano, tangere, aut indicare nefas erit; & quidē *γενικός*? Hoc ipsum scripto isto feci, & liberè dicam, sine cuiusvis injuriâ. Pauci aliqui cur bonis, imò cur piis conatibus meis molesti sunt? cur vulnera ad se trahunt, quæ ego non impressi? lapidem in altum misi; soli isti cur succurrunt & excipiunt? telum in metam direxi, metam autem vitiorum, isti cur avertunt aut detorquent in circumstantes? imò cur pro metâ ipsi esse volunt, quos ego ne per somnium quidem designavi? Si examinent, pleraque ista que scripsi, dicant ne in urbem quidem cadere suam posse. Præcipua pars Libelli est Ebrietas (& in hanc scripsi, quia laudare à nonnullis dictus eram:) ebrietas verò nō

hic

hic, aut certè non ad istum viget modum. Iam Sermonis & Silentii præcepta quæ inseruntur, & trientem Epistolæ occupant, quis bonus aut sanus audebit culpare? Si peccavi, hoc peccavi, quòd de Sermone & Silentio titulum non scripseric. Reliqua quæ insunt, plebeculæ hic aut alibi usurpata, nemo sanè excusando honesta faciet: sed excusabit potius ut usurpet. Laudavi nuper, & fidenter dicam, xterno Elogio totam Belgicam celebravi: cur nō liceat nævum aliquem corrigere aut indicare? ita est; publicè feci, & pro munere meo feci, tanquam in communi. Si quid læsi tamen, ubi non læsi, cur non priùs moneor, quām plector? Lenire, siquid acerbius, aut corrigere possum, siquid apertius simpliciusque scriptum est: & integrum mihi gratiam omnium conservare. Sed damnarunt alii librum, quem non legerant; alii, quem non intellexerant: & uno clamant ore, in Patriam, imò Belgicam universam impium & injurium me fuisse. Scilicet impius, quia Mēdicum egi? injurius, quia saniem alibi tetigi depurgandam? Homines sumus, populis sumus, non omnes profectò sobrii aut boni. Si morbos non negamus, remedia cur spernimus? si vitia quædam agnoscamus, quid dolemus accusari? Ego hanc operam debere me Patriæ, debere me generi humano censem, ut à vitiis absterrem: & sanè debeo; aut vocis stilique usus cessabit. De Editione & Typographo nunc quoque dico, qui sine consensu Aulæ videatur publicasse. hoc enim secundum crimen est; sed lenitate potius dignum, quām severitate. Censor hīc librorum, Eximius & omni laude dignissimus, GVLIELMVS FABRICIVS, Epistolam istam viderat, legerat, imò elogio suo muniverat. Bacchanalia erant, & pro tempore

tempore lusus videbatur. Itaque in scripto brevis argumenti consuetudinem Academiae Typographus secutus est, & quod à censore nostro approbatum, imprimere & divulgare ausus. Vsu enim ita observatum est, obtinetque, ut quæ dici aut disputari h̄c solent, Bruxellam non mittantur. Iam verò hoc scriptum cuiusmodi est? Epistola, sive Oratiuncula, quam ego etiam per partes h̄c Iuventuti nostræ recitavi. Si tamen peccasse sic Typographus videatur, qui produxit, cavere & emendare paratus est, & in magnis minimisque eandem deinceps legem subire. Ego breviter simpliciterque caussam totam sic explicui; & nunc rogo, ut auctoritate tuâ tuearis: admittas, aut restituas Libellum, qui Luxum proscriptit: crimine Auctorem absolvias, qui crimen non commisit. Id enim h̄c agitur, ut aut scribam deinceps, si absolvar, aut certè sileam, si condemner. sed, ut principiò dixi, quantum fiducie in meâ innocentia, tantum præsidii in virtute, prudentia, æquitate tuâ pono. Ita Vale Amplissime Vir, & addictum me tibi cense. Loyanii, Postrid. Eid. Mart. 100. VIII.

## EPISTOLA LIX.

*Gandavum.*

CORNELIO LVMINEO A MARCA V.R.

¶ Amico S. D.

**A**TU insigne iterum ad me cothurni tui specimen. Vidi, probavi; & hic stimulus tibi sit, ut pergas. De Iephœ quæris? in deliciis habeo, & opportune à SANDERIO exemplaria aliquot accepi, quibus amicorum desiderio satisfacrem. Vnum et jam

Jam ad Cardinalem BORROMAEVM, Archiepiscopum  
Mediolanensem missurus sum; qui istâ sanè lectione  
capietur. Vir eloquentiâ, doctrinâ, & virtute magnus  
est, & cui placere gloriosum putas. Serius in his Lit-  
teris nostris est, qui in omniscienciâ singularis. De o-  
ratione tuâ audivi; de eventu nullus dubito. ac jam  
gratulari famam tibi & eloquentiam incipio in Sa-  
cris his rostris! Ego *De Induciis Belgicis* hîc apud Sena-  
tum Populûmque Academicû differui: si argumen-  
tum spectas, πολιτικῶς; si elocutionem & εἰρόπειαν, non  
omnino invenustè. Bonæ Suadæ gratiam, quæ favit.  
Reverendo Abbatî V L I E R B E K A N O salutis officia li-  
bens deferam. Talis verè est, qualem describis, & è re  
Religionis puto, sic promotum. De carmine, experiar  
an Musa velit: quis favor & furor sit Apollinis, tu o-  
ptimè nôsti. Lovanii. iv. Kal. Iun. 150. ix.

EPISTOLA LX. *Mediolanum.*

V.R. ANTONIO OLGIATO,  
*Bibliothecæ AMBROSIANÆ Praefecto.*

**D**OCTRINAE & Virtuti tuæ cùm debeant om-  
nes, tum ego peculiariter humanitati: quam ut  
pro veteri affectu in me derivares, ubertim in  
uxoris meæ fratrem, ALEXANDRVM T'VRRIANVM, ef-  
fudisti. Excepit ille auribus tam irriguum benevolen-  
tiæ laticem, & liberaliter mox ad me litteris transmi-  
sit. Laticem, inquam, sed in quo ignem sentio, atque  
ipsum adeò Amorem. Itaque hausi animo novam vel-  
ut flamمام, & cujusmodi in Vestæ penetralibus vir-  
ginum olim religio coluit. An expressius etiam dico?  
Amavi te hactenus, nunc verò ardeo: nec quicquam

K esse

esse poterit, quod tuâ caussâ non velim, aut faciam. Excitor etiam insigni illâ dignitate, quâ Illustrissimus Cardinalis te Bibliothecæ Ambrosianæ præfecit: sic verò de Litteris Ingeniisque meritum, Librorum & Antiquitatis peritum, ut aptiorem eligere è tanto hominum eruditissimorum theatro non potuerit. Nimirum animo & prudentiâ quoque opus erat, in tali munere, id est, tali viro opus erat, qui instar multorum esset, & rebus agendis, non sciendis tantum aptus. Tu ille (liberè exprimam, quod verè possum) & hoc es, quod administras, βιβλιοθήκη μυτεροῦ μετέντεν. Atque utinam in isto nunc ego librorum contubernio, & virorum circulo verser! ostendere profectò possim, quantum tribuere nomini tuo debeant, qui Doctrinam & Virtutem amant. Agam igitur, quod absentia concessum est, & bono affectu munus atque dignitatem tuam estimabo. Sic me ama. SOSSAGVM, RIMONTIVM, reliquos officiosè saluto. Lovanii III. Eid. Junii. ∞. loc. x.

EPISTOLA LXI. *Antwerpian.*

ADRIANO MARSELARIO. S.D.

**I**N SIGNE profectò delictum meū, qui ad amicas litteras tuas hactenus silui. Bene tamē est, damage culpam incipio, postquam commisi: & veniam mereor, quia rogo. Enimvero facilis in his talibus neglegcio est, & fiduciâ aliquâ differre interdū scriptiōnem solet, quisquis amat. Ego etiam, dum quotidie facere destino quod omittere non debui, fluere dies aliquot nonsensi, sed fluxisse. Iam verò quid ago? ut delictum excusem, peccare audeo. gravius est, inhumatum

num te censere, quām non scribere: censeo autem, si quōd non scripsi, offendam verear. An difficilis eris, qui amicus esse voluisti? aut minūs ignoscere poteris, quām diligere? Bene iterum est: evadam crīmē, si neglexero. id enim hīc solūm esse potest, si offendisse me existimem. Filium ego tuum, ob in dolem ingeniumque, jure complexus sum; nec in grege discipulorum habui. Postquam etiam nomen PALÆSTRAE BONAE MENTIS dedit, dignum inveni peculiari quadam curā & affectu. Sed & ille inter gratissimas necessitudines diligere me cœpit, publico nuper elogio, tanquam Symbolo, amore suum testatus. Suaves istæ profectò laudes, quia ab eo veniunt, quem doceo; imò quia ab eo, in quem peculiariter animum direxi. Itaque juvare & promovere non desinam. Quōd scribis, viris bonis magnisque Inititutum meum probari, ex animo gaudeo. Hic conatus meus, ut Patriæ prosim, & Eloquentiam reducam: tum quoque, ut de amicis bene mercar. Inter hos te habeo Optime MARSELARI, & salvere jubeo. Lovanii, xvii. Kal. Quint. 1500. loc. x.

EPISTOLA LXII. *Mediolanum.*

Io. BAPTISTÆ VERTVÆ,  
Medicinae Doctori.

**I**NTE R suavissimos amicorum, nomen tuum, Vir optime, pridem retuli: & in pectore meo scripsi beneficium, quod vitam, sive valetudinem tangit. Tuā non semel ope mihi Musisque restitutus sum, cùm apud vos agerem; & ut scias quantum contuleris bonum, gratus esse non potui. Auxit etiam obligationem FAVSTVS filiolus meus: quem sic ad patrem re-

K 2 duxit

duxit avunculus, ut tibi debeam; & qui te patrem censere velit, quia Medicum habuit. Morbi periculum in quo fuit, & tuam simul curam industriamque in delpellendo intellexi, id est, geminum amore mei: quasi iterum parentem servares, si filium restitueres: nec satis ego obstrictus essem, nisi & filii tibi caussa deberet. Quid dicam igitur, aut faciam? Permitte quæso: quod omnem vincit gratiam, beneficium & stimabo. Sed ne omnino ingratus videar, pretium sive solstrum è pectoris arcâ, & animi peculio persolvam: illud verum & ternumque, & Amicitiae propriū. Omnia dixi, omnia feci: modum repperi, quo sine vitio debeam: & tu tamen hoc unum ab amico exigis, ne debere se existimet. Sic me ama igitur, quem dignum beneficio habes; & vinculo liberas, ut tuum esse fatearis. Fac etiam, quod multi tuâ operâ faciunt, id est, vale. Lovani, x. Kal. Maii, ∞. Ioc. x.

## E P I S T O L A L X I I I .

A V B E R T O M I R A E O, V. C.

Canonico Antuerpiensi.

**M**ULTVM me amas, quem sic compellas, & cōsortem doloris tui facis. Accepi enim utramque epistolam, legi orationem, & magis sic ingemui. Heu, qualem tu Patruum, Vrbs Antistitem, Virtutes & Elegantiae Virum amisere! commune damnum pectoribus omnium passim luctum ingerit, omniū vultus ad lacrymas cōpellit. Sed tuum affectum peculiariter emollire sanguinis vinculum potest, & doloris quædam pietas. Feres tamen quod mutare est nefas; & cùm publicas lugentium voces audias, tuis

præ-

præscribes modum. Deo ille dignus fuit, & istuc transferri, ubi de mortalitate triumphet. Nos cogitatione saltem sequimur, & felicem prædicamus, quem in cælesti contubernium, & æternitatis Capitolium virtutis præmia evocarunt. Neque improvisa ista mors dicens: vitam vir sanctissimus pridem contempserat. Beatum esse hinc conjice: intrepidè fatum excepit: & potuit, qui omnem à maculâ vitam removerat; qui Deum & Divina in terris quærebat. Sed laudes ejus hîcjam non extendo. Si tantillum otii pietas mea inveniet, ostendam quâm sanctè memoriam ejus colam, qui, ut omnibus prodesset, Religionem promovit. Palæstra quoque hoc officium persolvet. Vale. Lovani, Prid. Kal. Febr. 15. lcc. xi.

EPISTOLA LXIV. *Perusiam.*

M. ANT. BONCIARIO, V.C.

*& Italiae Homero.*

**N**IHI TU debes, Doctissime BONCIARI: sed ego doctrinæ, ingenio, & industriæ tuæ hoc quicquid est elogii. Rem dicam: Nomen tuum velut gemmā CONSOLATIONI meæ inserui: argumen-tū ipsum exemplo tuo illustravi. Amabunt scriptū viri boni doctique, in quo BONCIARIVM legent: contem-nent Cæcitatem, quæ affligere te non potuit, nisi ut redderet clariorem. Non videndo hoc profectò con-secutus es, ut ab omnibus etiam absens videaris. Quid mirum igitur, si oculi te mei Cæcum habuere, cùm de Cæcitate scriberem? animus Argum agnovit. Sed ego pariter in oculis tuis esse nihil moror, cū in animo ipso hærcā. Vides PVTEANVM cā parte tui, quâ magna,

excelsa, Deum ipsum vides. Sic quem cogitas, extollis amicum, & ad alta velut comitem trahis. Sed abrum-  
po: quia oculos tuos non aestimo, nihil auribus dabo:  
ut admittas tamen laudes, quas omnes tribuunt, ego  
expressi, rogo. Libellū ipsum mox habebis; ut intelli-  
gas & nos scire, nihil in te Fortunam potuisse. Quod  
verò gratiam refers, molestum esset, nisi sic referres.  
Sacrosancta mihi memoria ejus, per quem profeci.  
Tu vale Clarissime vir, & sine oculis Arge. Lovanii,  
xii. Kal. Novemb. ∞. Icc. ix.

E P I S T O L A      L X V . *Mediolanum.*

R A P H A E L I   M O N T O R F A N O   S u o .

**I**N epistolā tuā, mi MONTORFANE, imbras, nives, te-  
nebras, & lucidam Brumā faciem vidi: sed tuān ta-  
men lētam vernantemque deliciis & affectu. SAC-  
CVM ego solem habeo: & quid mirum, obduci istis cæli  
nubibus, imò aulæ? Sed nunc clamo: ξεχ' ὁ φίλ' ἡλίου. Vide  
conditionem Genii mei: langueo absque illo radio; at-  
que jam ab intervallo imbuendus eram. Litteræ fa-  
cient, quas dabit. De veteri illo amico nostro quid au-  
dio? O Fortunæ miras periodos! & quām lentē ad  
serenum otium optima ingenia provehuntur! Bene,  
qui sic animum componunt, ut morosæ τυρυχίας segni-  
tiem sufferant. Hic primus studiorū fructus est, fructu  
posse carcere summus, velle, cùm in doctrinā virtuteq;  
præmium quisque ponit. Sed Magnæ mentis opus! hanc  
amemus, ut tranquilla vita sit, in æstu & motu hoc  
rerum humanarum. Vale. Lovanii xii. Kalend. An-  
ni ∞. Icc. viii.

EPI.

EPISTOLA LXVI. *Lutetiam.*

AVGVSTINO GALAMINIO,  
Ordinis S. DOMINI Generali,  
Postea S. R. E. Cardinali.

**A**MOREM illum meum tanti meritò facere  
debeo, quanti Christiani omnes & dignitatem  
tuam & Virtutem, utramque sanè maximam.  
Etenim quà Magnus, & simul quà bonus es, me amas:  
& ut aliquis esse videar, affectus iste facit. Verbo di-  
cam: attollis, quem sic amas. Ego verò sic propriùs et-  
jam, & Magnitudinem tuam intuens & Bonitatem,  
intelligere radios incipio, quibus accendor: magis  
venerari, quibus illustror. Lumen igitur te meum di-  
co, illud, Græcâ formulâ, φῶς ἀγαθὸν, semel accensum,  
ut perenne esset. Et quid mirum, si respiciam? Quò  
oculi non perveniant, animus penetrat. ex hoc certè  
cultus obsequiique quædam stricturæ, litteræ inquam  
profiliunt, manu duntaxat dirigente: & eousque edu-  
cti Linearum se meatus laxant, ut totum videantur  
GALAMINIVM complecti, magnitudinem tamen non  
capere; pariter ut Solem videmus, sed totum ejus dif-  
fusumque ad Naturæ fines jubar non comprehendimus.  
Audacem nunc certè Epistolam dixeris, nisi is  
ferret, qui & ipse velut Ordinis tui sidus, proximo lu-  
minis gradu à te stat. Belgicæ nostræ Provincialis est,  
Vir insigni doctrinâ, prudentiâ, sanctitate præditus,  
rebus magnis aptus, & quem Antuerpiensium nuper  
vota Episcopum sibi, velut Deo suggestente, destinâ-  
rant. aliter tamen tum PRINCIPIBVS nostris visum; ut  
non negata hæc dignitas, sed dilata videatur. Pro bo-  
no

no Ordinis quantum sudet, hoc ejus iter in parte indicabit. Hunc virum igitur cum videbis, libenti quoque oculo Litteras meas admittes. Vale Reverendissime PATER, & Belgium quoque lustra. Lovanii. v. Eid. Julii, 1500. CC. XI.

## EPISTOLA LXVII. *Gandavum.*

CORNELIO LVMINEO A MARCA, V.C.

*Amico Suavissimo.*

**S**ECUNDAM epistolam tuam, mi LVMINEE, ante tri-  
duum accepi: nuper *Lessius*, qui mirificè placue-  
runt. Ostendi amicis: idem judicant, dignos esse,  
qui vel in exemplum legantur. Quid ni pergas igitur,  
& abjectam istam olim tibiam tam felici spiritu ani-  
mes? De censurâ jam desine: *ebur atramento non cande-  
facio*. Et qui novo torno aut cothurno carmina ista  
comparat, is mihi non Apollo, sed Marsyas. *Carcerem*  
*Babylonicum* libenter etiam prælibabo. Sed heus, igno-  
scé, quod responsum protraxerim: Bruxellæ, id est, in  
negotiis dies aliquot fui: sed domi quoque occurruunt  
quotidie, quæ impediunt. Laconica quædam jam cu-  
do, THYRSOS inquam PHILOTESIOS, atque adeò *Amo-  
rem* ipsum *Laconissantem*. Mox ubi Typographus absol-  
verit, mittam. Vale, & feliciter annum ictum alios-  
que age. Lovanii, Postridie Kal. Januarii, 1500. CC.  
IX.

EPI-

## EPISTOLA LXVIII. Ruramondam.

GVLIELMO CRIPTO SECUNDO.

**B**EATITATEM laudas, mi CRIPTI : in laudibus tamen meis brevis nequaquam es. Alterum judicio fieri, alterum amore dixerim : me nihilominus utroque illo capi. Differis enim, & castigato verborum rationumque pondere expendis, non tantum cur sic judices, sed cur ames ; id est, cur Laconicum libelli utriusque argumentum, & me quoque laudes. Bene est : Viro docto candidoque placere malim, quam Os populi meruisse. Nec impedire suffragium ille tuum poterit, quo vitam aliquam scriptis meis, aut famae praemium ingenio adsignas. Quid munus in quo versor, quid ipsa à me Patria exigat, scio ; ut publicas illas accendam eruditio[n]is faces, quibus & munus & Patria illustretur. Velim equidem, si vires sint, aut sic prodesse possim : sed mihi satis erit, si aliquod saltēm in hac viâ vestigium reliquero, otii inertiaeque dicā evitatā. Hoc igitur ago, mi CRIPTI, non tam ut clarus sim, quam ne ignavus. Nam nihil agere, & cadaver videri, priusquam animam posuero, flagitium puto. O sanctum illum Atheniensium morem ! (Valerii verba ponam : ) apud quos inertia è latebris suis, languore marcens in forum perinde ac delictum aliquod, protrahitur; fitque ut facinorosa, ita erubescenda rea culpa. Et apud Sardos, alioquin barbaros, ut Ælian[us] refert, ἀγριας θορυβοις δικαιοις. Quid de Germanis, Majoribus nostris, Tacitus ? Ignavos & imbelles & torpore infames ceno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Atque hic ἀγρια inter flagitia, & vel ipsa pœnâ abscondi debuit. Abscondar ipse, nisi evi-

L

tem :

tem: atque huc conatus mei tendunt. Conatus laudari suave est, sed amari, quia conor, suavius. Tu laudas, tu amas, mi CRIPT, & me beas. Vale. Lovanii, vi.  
Kal. Iun. &c. 100. ix.

EPISTOLA LXIX. *Antuerpiam.*

IOACHIMO TROGNESIO S.D.

**V**T negotia meas sunt, vix ago quod maximè cupio: nec expedire stilum queo, ut quanti amicitiam tuam facio ostendam; & quanti arma consiliaque, quibus feliciter gessimus bellum, & amolitus sumus. Debeo FONTANO Historiam, & ab amicis urgeor: an seponere liceat? ne differre quidem. Sed facere utrumque videar, si Versionem hanc præmittam. Tu Amicus esto, & sine, ut quibus debeo, Amicus sim: tibi ero, si debuero. Vale. Lovanii, Postrid. Kal. Martii, &c. 100. x.

EPISTOLA LXX. *Mediolanum.*IO. BAPTISTÆ SACCO, V.C.  
*Senatui à Secretis.*

**A**NScribo? at responsum ad nuperas meas exspectare poteram; quas etsi breves, prægnantes tamen misi purissimo affectu. imò ad meas, quæ Bononiam iverunt. Amo urbem, amo munus: videant tamen qui me amant, an futura opera mea urbi muniri que utilis. Hoc nunc urgeo, ut tu complecti me pergas, si longinquū; nec tamē avulsum, si perges. Præsens ero, si amabor: sed esse tamen cupio, ut amore tuo fruar.

fruar. Deus dabit; & exultum illud pectus stringam iterum, in quo omnes elegantiæ, lepores, sales, habitant. Vin' nunc etiam delicias aliquas mei stili? Libellum hunc cape; imò, ne à titulo recedam, Epistolā, quā LXXVM CONVIVIORVM copiosius persecutus sum. Non sine risu, scio, pleraque leges: & ego pro lusu scripti unculam istam habui; imò versiculos alibi miscui, ut omnibus modis stultissimam hanc scenam adumbrarem. Sed quām nihil tale in moribus vestris! sic verò sub Aquiloae mortales vivunt, & amant

---craſſos transfire dies lucemq; palustrem.

Quia vitium excusare nuper ausus, cùm Iuventutem Laudarem, offendì. Sed de hoc scripto quid tu sentias scire percupio: quid item alii, quos melior illa Musa capit. Novi an quid promam? Rumor est <sup>εἰπηνοτοιον</sup> nostrum in Bataviâ sclopo petitum, & in brachio laxum, à milite quodam nostro, & nuper proscripto. Is Mar-chionem adiit, exilii pœnam deprecaturus, admitti petiit. venit, auditus est: sed cùm pro voto responsum non esset, strinxit onustū pulvere & glande tubulum, &, laxatâ rotulâ, explosit. SPINYLA sceleris audaciam suspicione prævertens, injecit homini manus: ut elideret iictum, lacerto excepit. Bone Deus, quām diffi-cilis ad Pacem gradus est! Homini nefario satis non erat belli successum seditione impedivisse, nisi & negotium pacis audacissimo scelere conturbaret. Quid sit, & an credere rumori debeamus, pauci dies aperient. Tu vale, & vive, & integrâ senectâ fruere. Statim scribo, & jam indutus togâ, ut solennius aliquid publicè dicam. Quia tua mihi in animo imago est, etiam fa-cundiam corroborare exprimere. Conjugi & fratri salu-tem indica, iterumque vale.

EPISTOLA LXXI. *Madritum.*

MICHAELI LANZIO. V.A.

*Confilii Italici Regenti.*

**S**i pro affectu scribam, longa epistola sit: nec facile  
abrum parni, si animum calamus sequatur. Nunc  
maximum amorem brevibus complectar verbis,  
ut quem compellem, simul cogitem. Quid igitur scri-  
bo: unum illud; in cultu tui solito me perseverare. Ac  
sanè quia obstrictus vivo, obstringi etiam cupio; imò  
ut ostendam cui beneficium diebeam, à te peto. Beni-  
gnus eris, quia fuisti, & vota mea felices duces ad exi-  
tus, quæ tam insigniter promovisti. Titulum dico Hi-  
storiographi: quem sic accepi nuper, ut iterum pe-  
tam. Frui negatum est, postquam in Belgium veni,  
postquam Lipsio successi: imò non successi, quia in to-  
tum munus ejus non veni. Hoc peto igitur, ut Histo-  
riographus constituar Regius; aut ut esse pergam, qui  
Mediolani fui; & perenne Diploma sit, illud auxilio  
quoque tuo ab ipso Rege nuper acceptum. Res meæ  
sic loqui cogunt, animumque addunt, fortassis auda-  
ciorem. Sed ea humanitas tua & benignitas est, ut fa-  
cile peccare non possim; ea conditio mea, ut felix esse  
non possim, nisi peccem. Vale. Lovaniivm. Eid. No-  
vemb. 80. Icc. IX.

EPISTOLA LXXII. *Gandavum.*NICOLAO BVRGVNDIO, Auditori suo,  
*& Palæstritæ Bonæ Mentis.*

**A**MOLIRE suspicionem omnē, mi BVRGVNDI: te  
amo, tua æstimo. Planè supra mores Juventutis  
te melior extulit Genius, & quā malignus livor,  
insequi-

insequitur, amas BONAM MENTEM. Carminibus tuis  
si me rapi dicam, aliquid etiam infra affectum audias.  
Sustinere tu Musarum gloriam cum paucis poteris,  
otium modò in foro invenias & tranquillitatem. In-  
venies : ubique Poëta suus est, & Heliconem habet:  
divinum concitare furorem ubique potest ; & vulgi  
judicia contemnere. Quasi verò Astrææ placere non  
queat, qui Apollini se commisit. Tu perge, & genero-  
so famæ desiderio alacer numerum nūquam morien-  
tium auge. Hæc ad immortalitatem via est. Quia sper-  
nere ingentes divitias potes, & vincere ingenio quan-  
tum avaritia stipat, omnem æternitatis remoram pe-  
pulisti. Iterum dico, perge, & quas benignissima tibi  
natura dedit dotes, æstima: me, qui ad optima semper  
adhortatus sum & duxi, ama. Te Auditorem, te Disci-  
pulū voco, & glorior. Convellere quoque obstrepent-  
tium malignitatem Palæstra poterit, è quâ tu prodis.  
Hanc verò etsi multi esse nollent ; tamen defendo &  
exorno. AVSPICIA imprimuntur, & partem h̄ic ali-  
quam vides. Nunc in scribendâ Historiâ aliquid ex in-  
tervallo laboris pono, MEDICÆVM mox grandiorem  
producturus. Stimulos si statuisti addere, Carmen pa-  
ra, quod præfigam. AD CORNELIVM LVMINEVM MAR-  
CANVM nostrum litteras Cardinalis BORROMÆI misi:  
indica, & doctissimum plenūmque Apolline pectus  
meo nomine ex osculare. Clarissimo VRIENTIO falu-  
tem adscribo. Vale. Lovanii, quò è Sugambris meis  
ante dies aliquot reversus sum. vi. Eid. Septembris  
cc. Icc. XI.

L 3 EPI-

## EPISTOLA LXXIII.

CORNELIO BREDÆ, maximè suo, S.

**I**GNIS fulcrum, mihi quidem ægnima erat: nec tan-  
ti, ut vel excusationem meteretur. Sile igitur, &  
hoc simul cogita, frigidum metallum ferrum esse,  
ac pari duritie munitum. In tuo verò pectore volo  
ignis & humanitas habitent, id est, amor mei, & me-  
liorum Litterarum. Quod si ferrum etiam esse velis,  
magnos ero, & valido te affectu traham. Abi, abi, sen-  
tias vim meam: ac tecum iterum esse, votum tuum e-  
rit. Quæ vidi, vide; sed compendio. Vno isto biennio  
Vlyssis tibi errores, id est mei, conficiendi: in unum  
hunc finem, ut πολύτρως evadas. In ratione verò itine-  
ris consilium P L O V V I E R I mei sequeris. Nummum  
quem misisti, dubito an probæ & antiquæ notæ sit: sed  
vel εποβολιμαίος placet: Adversa inscriptio, quæ caput  
Imperatoris ambit, hæc est: A. VITELLIVS GERMANI-  
CVS. IMP. AVG. P. M. TR. P. In adversâ parte Honoris &  
Virtutis typus est, & ascripta verba: HONOS ET VIR-  
TVS. Hos tibi comites toto itinere, imò totâ vitâ habe,  
quibus FELICITAS se jungat. Proficisci igitur, Ita-  
liam lustra: sed affectum mei amicâ tecum memoria  
circumfer. Mores & Viros observa, & honestam in a-  
gendo dicendoque libertatem assume. In studiis &  
Sapientia perge, animum tibi vindica, pectus clausum  
habe, linguam circumspectam, frontem hilarem. In  
omni opere, sermone, cogitatione Rationem audi &  
sequere: quædam vide, & transi, audi, & tolera, tibi ipse  
severus sis. Breviter: qualis apud me fuisti, esse perge:  
yana & prava sperne, pravos fuge. Sed vel jam redeun-  
di de-

di desiderium concipe. Sic iterum te complector, &  
quia abis, crucior. Sed abi; patior: redditus dolorem  
meum tollet. Matrem tuam, tanquam meam, saluto.  
Vale. Lovanii, viii. Kal. Septemb. co. Icc. viii.

EPISTOLA LXXIV. *Colon. Agripp.*

GERARDO ARNEMIENSIS,  
*Societatis Iesu, Praeceptoris suo.*

**P**IUS erga te affectus meus incrementa quotidie sumit, animumque nescio quo thyrso stimulat: ut videas, non vanam aut inutilem quondam in me erudiendo operam tuam fuisse. Quo magis studiorum utilissimam amoenitatem annos crescentes innovo, amplius & certiore velut oculo, quantum tibi beneficium debeam, animadvero; atque haec ipsa cogitatio amorem meum nutrit, & suavi rore imbuit, nunquam extingueduni. Cogitatio inquam, et si tacita, rarisque litterarum signis expressa. Sed quantum amo, e quidem ostendere video, quia simplicissimam fiduciâ scriptionis haec officia ex intervallo suspendo. Ut diei noctisque, ita silentii & epistolæ vices sunt: somno & vigiliâ vita humana dividitur. Spiritum sane ducit, quisquis dormit: amare potest, etiam qui silet; quemadmodum & non amare, qui scribendo fucum promit. Candor in nobis est, & ingenui te præceptore mores placent. Quid igitur? Quia verè amo, extra culpam silentium habeo; extra ambitionem fallaciamque totum illud epistolarum commercium. Atque hoc scire te scio. De rebus meis studiisque haec æstate fortasse coram dicam. Nam Venlonam profici sci constitui, si itinera

itinera permittent, Coloniam excurram. Vale, & tuis  
salutem nuncia. Lovanii, vi. Kal. Iunias, 150. XI.

## EPISTOLA LXXV. Bruxellam.

REMACLO ROBERTIO V. Optimo,  
Annonae Militaris Provisori.

**V**T inde ordiar, omittam titulos, & morem po-  
tiūs Modestiae tuæ geram, quām Fortunæ; cūm  
spernere facilè possis, quicquid infra Virtutem  
habes. Ergo ad populum phaleras; qui amplius quām  
bonus vocari ambit, & verborum sāpe innocentiam  
in contumeliam rapit. Ego quidem extra periculum  
positum me video, quoties ad te scribo; quia nec  
probas ea quæ populus solet, & eos maximē amas ti-  
tulos, quos reddere sine ambitione possis. Video igi-  
tur quid agas: accedis humilitati meæ, & ut firmiter  
amare videaris, parem te ostendis. Sed neque sic ta-  
men injuriam ego amico inferam: reddam titulum,  
quem si intelligat mortales, summo loco ponant: titu-  
lum, quo donatus olim à Senatu Romano Nasica fuit:  
OPTIMVS vocabere, & sic maximū esse affectum me-  
um testabor, qui ad talem dirigitur. Vale. Lovanii.  
iv. Eid. Septemb. 150. X.

## EPISTOLA LXXVI. Mediolanum.

LUDOVICO SEPTALIO, V. C.

**D**ESINE mi SEPTALI: Amorem tuiservo, & sua-  
vitatem, quā sermonem scriptiōnēmque soleo  
imbuere. Sed nec vultum ad severitatis leges  
com-

composui; et si quinque jam liberorum pater. Tam strenuus ego : & an ab exemplo tuo recedo? Nimirum cùm è Muséo recedo, invenio etiam in thoro, quod lucubrem. Pari felicitate, ingenii mihi & sanguinis monumenta conduntur. De amarulentâ igitur apage: Bataviam nuper lustravi, in mari fui; quicquid in ventriculo hæsit bilis, Neptunus hausit. Spumeum etiam illud Oceani littus calcavi, salsam bibi: quid mirum, si jam omnino salsus? Quòd si hoc etiam ad facetias spectat; currus veliferos vidi, quos per supercilium maris ventus impellit, admirandâ celeritate. Nam quod alibi eorum labore iter quatuordecim horis conficias, id viduo h̄ic vehiculo (an navi dicam?) duabus. Quis Pegasus contendat? Nec ipse videtur ventus vela assequi. Tam concitato motu volvuntur sorores illæ rotæ, ut accendi nonnunquam soleant. Quid mirum, potentes maris esse Batavos, cùm & terram navigent? In DISSERTATIONE meâ DE INDVCIIS quantum possint, explicui. Privata cur non potius loquimur? *Kupias δοξας* colligere cœpi, opus majoris operæ, & molis. In hanc rem imaginem Epicuri quæro: an in Italiâ alibi reperiendam? frequentem apud Sectatores solim fuisse, Plinius testatur, lib. xxxv. Cap. ii. *Vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt secum.* Apud Ciceronem quoque, lib. v. de Finibus, hoc ipsum testatur Atticus: *Nec tamen Epicuri licet obliuisci, sic cupiam;* cuius imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & in annulis habent. Iuva si potes, aut per amicos alibi erue. *Quæcumque hactenus scripsi, junctim, & uno volumine producere statui correcta, mutata, & aucta.* Ne severus tibi videar, AMOENITATES erunt. Tu quid agis, scribis, doces? Modicè

M

omnia

omnia ista; ut valeas, & me ames. Lovanii, Postrid.  
Eid. Februarii. 100. x.

## EPISTOLA LXXVII. *Mediolanum.*

FREDERICO CARDINALI BORROMÆO,  
*Archiepiscopo Mediolanensi.*

**A**D litteras & munuscula tua pio affectu exfiliis  
humanitatem & benignitatem veneratus sum;  
quæ utraque è lacteâ benevolentia copiâ edu-  
cta, totum me irroravit. O suave silentium igitur, quia  
cum fœnore eloquii & liberalitatis! Eloquium litte-  
ræ, liberalitatem imagines tam magnarum mentium  
liquidè promunt & testantur. Quid repono, ut æsti-  
mare protuberantis hæc affectus signa videar, ac pla-  
nè æstimem? cultum, reverentiam, pietatem: quæ Tri-  
as à bonis doctisque omnibus inclito tuo & ituro in-  
secula nomini meritissimò sacratur. Invidendum Re-  
gibus facinus divino consilio aggressus, obstringere  
tibi Litteras omnes voluisti: quæ Tuæ tamen erant,  
possidebas: nunc magis etiam Tuæ, quia publico  
exemplo ad omnes omnino mortales derivas. Tale  
quidem æternum illud Bibliothecæ tuæ miraculum  
est, quod cum admiratione Belgæ in primis nostri in-  
tuentur; & publicâ utilitate excitati, imitari saltem  
gestiunt. Id unum relictum nobis, Conari, sive vires,  
sive sortem languentis etiam à longo bello, velut mor-  
bo, Patriæ species. In publico rerum omnium incen-  
dio primum libros infortunium involvit: & quia in  
Religionem æquè ac Regem pugnatum ab hostibus,  
Religionis autem thesauri Bibliothecæ videbantur;  
magnum hic ubique damnum res litteraria cepit. Ita-  
que

que corradimus & componimus, quod belli furor dissipavit, reliquiisque librorum spem melioris ævi foveamus. At tuus ille omnis Antiquitatis & Doctrinæ thesaurus est. Pinellianas illas verè gemmas accessisse, & Pinelli, & publicæ rei litterariæ caussâ gaudemus. Ego hīc in munere meo progredior, docendo scribendoque; atque id in primis curæ est, ut tibi, Musarum vero numini, placeam; beatus mehercle, si placeam. Vale magne Antistes, & Ordinis tui Phœnix. Lovani, iv. Kal. Jun. 150. IX.

## EPISTOLA LXXVII. Bruxellam.

HENRICO VAN-ETTEN V.A.

*Annonæ Militaris summo Praefecto.*

**I**N turbine & tempestate ad sacram anchoram confugio: ad te, inquam, Vir Amplissime, qui pro virtute, doctrinâ, & humanitate tuâ, jam respicere litterarum innocentiam voluisti, ut defenderes. De facie ignotus sum, nec tuam haetenus usurpavi: sed tanquam essem, tanquam usurpasssem; animum cultumque jam pridem devovi, & hoc egi, ut in clientem adoptarer. Quid si etiam adoptatus sim? eo nimirum jure, quo munus I. Lipsii nuper cepi. Tuus ille fuit; & ut ostenderes fuisse, in me humanitatis affectum derivasti, opeim adjecturus. Ego quoque ut nomen Musis ac Virtuti dedi, tibi dedi, magno Musarum Patrono ac Virtutis. Sic igitur auctoritatis tuæ auxilium imploro, non quasi tuus esse velim, sed quasi fuerim. Vale. Lovani, iii. Eid. Martii, 150. VIII.

EPISTOLA LXXIX. *Mediolanum.*

PHILIPPO WANNEMAKEROS suo,  
Ordinis S. Dominici.

**V**IDINUNC demum TRIUMPHVM tuum, mi WANNEMAKERE, ingenii & eloquétiæ splendore in-  
clytum: in quo & amori tuo locum faceres, cæ-  
lo Puteanum infers. Novi ego mediocritatem meam;  
quàm multa & varia ignorem: facula inter stellas fe-  
ror, & tu me Solem facis? Quid supereft, nisi ut odiſſe  
me jam incipient, qui minùs ferre laudes potuere: &  
simul tantum ſcriptioni tuæ decedat, quantum affe-  
ctui indulſisti. Mehercle pænè in diſcriben modetia  
mea venit: nec proferre judicium de ipſo libro poſ-  
ſum, niſi admittere & usurpare videar, quicquid in  
me laudas. Profero tamen, & ibi maximè ingeniosum  
te dico, ubi affectum exprimis. Stili felicitate com-  
plexus es, quicquid conſequi induſtriā nequivi: & ſic  
major tuſcribendo, quàm ego agendo fui. Niſi Ty-  
pographus alibi nævos intuliffet, imò vulnera quæ-  
dam, plena librum felicitas respiceret. Ipsiſ dictio bona  
eſt, inventio lepida: floſculos ſpargis, delicias mi-  
ſces, & ubique lætum eloquétiæ vultum explicas.  
Securus eſto: hic te liber Muſis Gratiaſque carum o-  
ſtendit. Iam quia Muſarum Herculem deſcribis Bor-  
ROMÆVM, quia Bibliothecam ingeniorum æternitati  
cretam, ne diſplicere quidem æmulis (ſi qui exiſtunt)  
potes. Vale, & bonam provocare famam perge, me  
amare. Lovanii, xvi, Kal. Octob. 100. XI.

EPI-

## EPISTOLA LXXX.

WESENBECK S.D.

**Q**VAS à me litteras Illustrissimus & Excellens  
tissimus ARSCHOTANVS exspectabat, misi die  
Saturni; & (liberè fateor) humanitate tuâ abu-  
fus sum. Nā utonus imponerē, præfari veniam debui:  
& commendare epistolam, ut benevolentia operam  
impetrarem. Et impetravi tamen, uti spero, quam non  
promerui: curaveris fasciculum, quem tam auductar  
misi, quia magni, tuique Principis nomen loquebatur.  
Sed ut aliquâ excusatione libertatis culpâ emolliam;  
in summâ temporis angustiâ scripsi, cùm sub ipsum  
discessum tabellarii nova quædâ ad me delata essent,  
quæ statim scire DUCIS intererat. Ita crede, Vir Nobis,  
& grauiori culpâ me absolve, qui postquam omisi,  
supplere officium malui, quâm non præstare. Ergo si  
quid responsi ad te redierit, candoris quadam fiduciâ  
exspectabo. Amare pergam, quem fortassis offendere  
potui: colere pergam, qui non potuit offendì. Infra  
humanitatem tuam delictum meum fuit. An plura  
dicam? nec amare, nec colere videar. Vale, & omne à  
me obsequii genus exspecta. Lovanii, Postrid. Eid. Se-  
ptemb. 15. C. x.

## EPISTOLA LXXXI.

Io. BAPTISTAE SACCO V. C.

Senatui Mediolanensi à Secretis.

**E**T jam Cardinalis BORROMAEI litteras promit-  
tis? tanquam ad esurientem veniet ille cibus, quo  
oculos animumque pascam, & ad omne officii  
genus

genus masculabo. At involucrum tuum paucissimis lineis, velut sulcis, exaratum, nimis brevem lectionem fecit. Inerant SEPTALII & ADERBAE litteræ ubiores; et si nec desiderio explendo. Sic sum, & maximè exigo scribendi diligentiam, cum ipse intermitto. Factum hoc per aliquot dies, quos & amici, & ludi, ne Bacchanalia addam, cripuere. Nam Bruxellæ fui, ad communes mores me cōposui, & ineptivi. Sed quid? Desipere loco, Sapientia est. SYNTAGMA DE LACONISMO, item THYRSI PHILOTESII editi; in isto *Encomium & Patrocinium*, aliāque nonnulla invenies. Quæ in FARNESIVM acriora, iterum mollivi: offendit poterit, si laudari grave. Sic enim Brevitatem propugno, ut adversarium (utar hoc nomine) extollam, imò venerer. Librum ipsum Duci ARSCHOTANO inscripsi. is extemplo donum remisit, non quasi munerari affectum meum voluerit, sed quasi liberalitatem suam testari. Impensè admodum LACONISMVM amat, qui dignum censem tali affectu: nisi tamen me divitiis delectari, qui tam liberaliter donat; aut non satis estimare librum videatur, nisi in Auctorem munificus sit. Itaque Libri & LACONISMI caussà gaudeo, & in doctissimo Principe parem animum laudo. Tu seculo, imò litteris gratulare; me, ut facis, ama. Lovanii, iv. Eid. Mart. 150. Ioc. ix.

## EPISTOLA LXXXII.

CORNELIO BREDAE, æternū suo.

**A**Tego te etiam sine argumento volo scriptitare. Rem verba invenient, scalpturienti modò calamo papyrus si subjeceris. Nigellæ Cadmi filiæ nescio quam facili seminio nascantur; illæ præser-

tim

tim Amoris interpretes, & Candoris. sic animus emicat, animique nives, furvis, ut sic dicam, sæpiæ notis expressæ, an adumbratae? Studiorū deinde diaria quædam potes condere, ut quid quotidie agas, videas, audiás, discas, unà sciam. Correctiuncula in Petronio felici conjecturâ constat: curasti vulnus, nec cicatricem reliquisti. Mutilum hactenus libri corpus est: sed in membris exemplū purissimæ Latinitatis. Perge imitari. ac jam amœnior in epistolis tuis Genius ludit, imò quid sperare debeamus, non indicat tantum, sed promittit. De TVBATIO nimis tubreviter, nec quomo-  
do equi beneficio aqualiculus correctus, satis capio. Me certè sic vehi juvabit, animi corporisque caussa.  
Sed sic sublimem tamen Schola non videbit, ne molli exemplo novas delicias doceam. Nemo hîc quidem è Minervæ aut Astrææ mystis Centauros imitatur: ego si occipiam, fortassis offendam. Mœnia igitur terenda mihi ferreo gradu, & quæ unà tecum adire loca solitus sum. At tu jam veheris ligneo quotidie equo, & miracula tantæ Vrbis lustras. Vt eae occasione, vide, disce. Mater, ut volebas, pecuniam, ante dies pauculos, trascrispsit, Mediolani à VERGANIIS numerandam: si non accepisti, MONTORFANVM mone, uti curet. ego ad eundem jam scripsi. A CAESARE tuo epistolam accepi, verbis blandam: non tali vultu meam acceptam fuisse, hoc quoque scio. Sic mores sunt, si scribimus, *levior plumâ est gratia*, ut cum Comico dicam; si nō scribimus, *plumbreas iras gerunt*. Nos hîc in tumultu fuimus. Iuventus, exacto è Scholis publicis Rectore, secessionem fecerat. Missi ex Aulâ, qui componerent. Scholæ nunc redditæ sunt: turbæ tamen gliscunt, & in Prætorem fratrémque ejus diriguntur. Plura à BONERO intelliges.

Tu

Tu vale. Litteræ tuæ ad matrem, curatæ. Lovanii iv.  
Kal. Iun. 18. Ioc. ix. Stilum, ut facis, exerce.

## EPISTOLA LXXXIII.

FREDERICO CARDINALI BORROMEO,  
*Archiepiscopo Mediolanensi.*

**V**ERBA, quibus gratum me ostendam, non inventio. Ut enim maximum hoc istud beneficium est, quod sponte tuâ decernis: ita incredibili me gaudio affecit. A Sole tanquam radio quodam perstriatus hæreo; nec splendorem hunc satis capio, quo cingor. Mirantur alii, & felicem me prædicant tali Phœbo. Ergo magnitudinem honoris cùm apud meipsum examino, ab aliis intelligo; & Fortunæ mæx hanc summam puto, Genio tuo placuisse. Quam suave autem debere illi, cui Litteræ omnes : addam, cui Virtutes omnes debent! Vtrasque Heroico nec morituro unquam exemplo erexisti: me simul, quasi aliquo haberi loco debeam, qui amare easdem ausus. Verè dicam: correxisti seculum, & quas tu promoves artes, æstimare cuncti incipiunt; imò quos tu viros, cunctis suspicere. Sed quid fit? Ad te omnis iste honor redit, quem nec mereri artes, nec viri possunt, nisi referant. Ego facio, faciamque, ô magnum Decus meum; & nunc rogo, ut quantum ab humanitate tuâ beneficium acceperim, audire sustineas. Ipsum honoris insigne, ubi redditum erit, exosculabor, & in obsequii vinculum adhærebit pectori meo, quamdiu hoc ipsum animus inquilinus colet. Vale Illustrissime Cardinalis, méque Ambrofiano nexu tuum ama. Lovanii, xi. Kal. Feb. 18. Ioc. x.

EPI-

EPISTOLA LXXXIV. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVVIERIO V.N.  
¶ Amico.

**L**ITTERARVM aliquam intermissionem accusare poteras: sed aliud ex alio me impedivit. Accesit & parétis mei obitus, qui pio dolore affectum filii occupavit. Ergo fuit ille, & me docuit, quid homines simus, aut speremus. Hæc vestigia proximus ego premo, & huc eo, ut pariter mox fuisse dicar, ut traham, quos ad vitam mortémque genui. Pusilla via est, & continuus morientium ordo, nō ordo, communem necessitatem indicat. Quid alta, quid vana molimur, mox casuri? Quodcumque vides, fato cedit: quodcumque relinques, aliquando desinet. Ne in posteris quidem æternus sum. Qui sunt, qui erunt homines, tandem non erunt: siquod relinquam nomen, longa annorum series obruet, & velut auram dissipabit. Sed meus exemplum mihi dedit, quod & meis relinquam: honestè vixit, sanctè obiit; & hoc utrumque me consolatur. Plura jam non scribo, ut sermonis argumentum uberius sit. Veniam enim cras, aut die Lunæ: sed fac ut otiosum te inveniam. Multa loquar, sed & audiām. Vale. Lovanij, Nonis Febr. ∞ .Icc. xi.

EPISTOLA LXXXV. *Romam.*

RUGERIO TRITONIO,  
*Abhāti Pinaroliensi.*

**C**V M voluptate epistolam tuam legi, Reverendissime Vir, & veterem illum affectum regustavi, quem meā caussā in amicos quoque meos trāsfundis.

N

fundis.

fundis. Addis de Bononiensi negotio , & occasionem te optare rursus agendi. Ego eām dabo ? Senatus ipse amico sanè desiderio prævertit , locūmque TITI TUI humanissimè defert. Aestimo hunc honorem; & amo Italiam, in quā te olim complexus sum. Cum honore aliquo meo redire possum: sed vidēdum, ne cum danno; & ut in illā luce Fortunæ subsidiis dignitatē muneris tuear. Conditio Professoris ipsas quoque artes involvit. Florere aut vigere non possunt , nisi & ille. Floret autem, cùm honestè alitur; & per stipendiū hoc unum agere possit , quod agit. Bona Minerva in his quidem sacris Mercurium non admittit. Lucro & Litteris simul operam dare , difficile est : ut flare & sorbere. Expedienda mens est, ut libera & vegeta sit, & supra angüstias rei familiaris. Ego verò Fortunæ meæ calculos posui , rationes inspexi , rerū pretia putavi: quantum aliquando destinasti, nisi detur, frustra adventū meū speras. Scripsi hac de re pariter ad CLARISSIMUM ASCANIVM PERSIVM , item ad FFANCISCVM BARTHOLINVM, amicos meos, qui agere cœperunt , antequam animum adjecisse. Quantum tu possis, scio: quantum me amas, alii æstimabunt. Si veniam, Italiam, te auspice, mihi sedem, Posteris Patriam constituam. Vale. Lovanii, 111. Non. Novem. 15. Ioc. vii.

## EPISTOLA LXXXVI. Duacum.

BALTHASARO ROBIANO F.

**L**ITTERAS , & quas misisti Theses , accepi : atque in hisce quantū ingenio studioque possis, animadverti : in illis , quantum promittis. Magna omnia , sed te digna. Ergo ut ad summa pervenias, qui

qui optima consecutaris , Agamemnonis illud acclamo:

Βάλλούτως , αὔχεν τι φύως δαυροῖσι γέγηται.

Πατρί τε σῷ.

Aliquot adhuc menses in pulvere isto Philosophiae consumēdisunt, & faces ingeniosæ doctrinæ accendēdæ, quibus in PALÆSTRA BONÆ MENTIS deinde luceas. Magis etiam Eloquentiæ ac Sapientiæ amabis studia, si tetrica hæc perruperis. Fructum & Voluptatem labor iste gignit: Musisque gratior est, quisquis Sapientiam coluit. Exercitationes meæ quam originem habent, nōsti: ab Amplissimo tuo Pātre, veræ Virtutis & Humanitatis exemplo. Itaque tuam PALÆSTRAM puta, etiam si nomen non dederis: dare autem non poteris, nisi ut emineas. Tuum erit,

*Aἰὲν ἀριστέειν, καὶ ὑπερίσχον ἐμμενεῖς ἀλλοι.*

Sic Vale, & ut præstantissima velis, Parentem cogita.  
Lovanii. Predie Kal. Maii, 1500. CC. xi.

## EPISTOLA LXXXVII. *Mediolanum.*

BENEDICTO SOSSAGO, ex Alumnis  
Bibliothecæ Ambrosianaæ.

**S**AVISSIMVM hausi Lyra tuæ melos ; nec scio an brevi illâ paginâ lètius quid legerim. Tali carmine dignum profectò argumentum ipsum fuit: & ut intelligerem, quanto me beneficio verus ille Musarum Hercules sibi obstringeret , blando verborum nexu canere maluisti, quàm loqui. Et sic ipse jussit? O meum gaudiū ! & quod nec beneficio sic tamē par est.

*Dignatur soboles inter amabiles  
Vatum ponere me choros.*

N 2

Con-

Confert ingenio meo honorem, studiis præmium, nomini famam: & nequid felicitati meæ deesset, perpetuum me tibi, tuisque illis egregiâ doctrinâ viris collegam facit. Mi S O S S A G E , juncti sumus, nec umquam divellendi. Reliquum est, ut amor noster nunc quoque crescat, & æternus sit. Fac, faciam; & Doctissimo OLGIATO Præfecto, reliquisque Collegis affectum meum, omnèque studiorum obsequium nuncia, solenni voto addictum. Vale, & Salve, Apollineum caput. Lovanii, xi. Kal. Febr. 100. 100. x.

## EPISTOLA LXXXVIII. Bononiam.

FRANCISCO BARTHOLINO suo S. D.

**D**Envo me imbuis amoris tui melle, ô mi non Amice dicam, sed Frater; & quæ in rem meam esse affectus dictat, nō scribis tantùm, sed facis. Quid dicam? devinctus sum, & nunc venire cupio, ut æstimare beneficium videar quod moliris. Providè tamen, ne aut spes, aut consilia præcipitem. Quo loco sim, vides: ni vocer, frustra animum conditioni huic adjicio; ni avellar, vix honestè me expedio. Arctiora Patriæ vincula ipsa pietas facit, & jus etiam aliquod habet illa Parenis detinendi, à quâ jam alor. Virgo nuptura, etsi ad novum anhelat limen, tamen ducitur. Vir feminam querit, non virum femina. De me sic statue: vocandus sum, ducendus sum in novam Vrbem tanquam familiam, in novam Academiam tanquam domum. atque id cum sumptu, ut longa ista itinera sunt, nobis præsertim, qui sarcinas trahimus, uxorem liberosque. Soli libelli evectionem poscunt,

poscunt, quos emere toties videor, quoties transfero;  
 & quos emo tamen sic libentiūs, quam muto. Sed de  
 stipendio cogita ipse, & dispunge sumptus; ne quis a-  
 varitiae mihi notam inpingat, si pro dignitate littera-  
 rum muneri laboribusque pretium statuam. Evidem  
 pecuniæ studium, velut Bonæ Mentis remoram, sem-  
 per detestatus sum: *quam*, ut Sallustius ait, *nemo Sapiens concupivit*. Sed tamen videndum est, ut commode, &  
 in tranquillo animus ingeniumque sint. De domo  
 quoque, si ita videtur, agivelim, & ut habitatio de  
 publico detur: tum ne difficiles solutiones sint, malum  
 hodie nimis solenne. Ceterum Bononiensium amicâ  
 voluntate ego utar, indicent: sedem rerum & fortuna-  
 rum transferam, invitent: affectu & studio adhære-  
 bo, recipient. Libellos meos ultimos faxo Mediolano  
 habeas, Clarissimo Viro I. BAPTISTA SACCO mitten-  
 te; quem mecum velim ames. Competitores an aliqui  
 sint, obsecro fac sciam: tum etiam quare & quomodo  
 post tot annos Bononiam Tiriūs reliquerit. Tua &  
 edita & edenda videre velim. bona, erudita, & rara  
 esse judico ex epistolis, quas mittis. atque hic vigor  
 in paucis scribentium apparent. Vale mi BARTHOLINE,  
 & scribe. Lovanii, III. Nonas Novemb. 1507.

EPISTOLA LXXXIX. *Bruxellam.*

MAXIMILIANO PLOVIERIO,  
*Viro N. & Amico.*

**M**IRERIS in tam quieto munere meo tantas oc-  
 cupationes esse, aut potius tam multas. Vide  
 obsecro; scribere vix poteram, & tamen, ut lit-  
 teras mitterem, volui alienâ manu uti, cum lucro qui-

dem : nam dum alienas mitto , meas adjicio . sic compellare te non possum , nisi ut unà ipse loquar . Et fortassis fidem non habeas , nisi petitionem videoas meo ipsius calamo consignatam . Quæ igitur illa ? Ut venias , ut videoas , quæ à tribus jam lustris non visa . Novos Myſtas h̄ic Astræa creat : tantillo itinere digna hæc pompa . Sed nōnne & adventum quasi litteris pollicitus ? Ergo è pacto ago , & impero , Veni . Suavius erimus , quām nuper fuimus . Iterum dico , Veni : & , si Myſtas negligis , nos vide ; si pompam odisti , Musas nostras vide . quod ames , nos dabimus ; quod admireris , Musæ . Hæc ſcripsi , ne ſcriberem . Officium autem meum BONERVIS implevit . Vale , & ſi jucundos nos eſſe viſ , veni . Etiam dico ? ſed ne more tuo abeas . Non dierum , ſed horarum nobis homo es : Annorum , imò ſeculorum eſſe cupiam . Salve .

EPISTOLA XC. *Montes Hannoniae.*  
BALTHASARO COLLEMIO MAGNORAMO.

**B**ENEFICIVM disputas , Mi Collemi : ſed ab auctore (dicas cauſa , non dico ) aberras . Ten' mihi debere ? illi , illi , qui tam benignus exſtitit , & in optata melioris fortunæ limina introduxit . Ego digitum intendi tantùm , viāmque monſtravi : niſi obſtaculum remotum dicas , Litteris breviter , ſed cum fide ad Antiftitem iſum ſcriptis . Officii mei fuit , & ſic Ingenium tuum , Eruditioque merebantur ; ſic Litteræ , quas me quoque Myſtagogo coluisti . Malo igitur doctrinæ tuæ auctor videri , aut promotor , quām conditionis ; cùm minoris operæ momentique videatur , feliciter quempiam reddere , quām felicitate dignum . Tu nunc , à quo Viro ſuceptus ſis , & quam curam

curam ipse suscepereis cogita: illum cole, venerare, demerere; hanc pari probitate & industriâ sustine. Vnum istud, aut potius, geminum te mihi debere cogita; ut colas, ut sustineas. Ego amare imò juvare (vires modò adsint) pergam, & in signum benevolentiae munusculum hoc mitto; ipsum, inquam, **D E L A C O N I S M O Syntagma**, ut legas, & unà Ducis Arschotanil liberalitatem prædices. Quanti *Laconismum* ipse fecerit, munere plusquam Asiatico testatus est. Carmen, quod in **C O M V M M E V M** meditaris, tuo arbitrio perfice, & inscribe; imò ad Orationem aliquam te para, quam in Palæstram, velut horreum inferas. Vale, & uti destinasti, veni. avidus sermonis tui sum. Lovanii, ut tuas accepi. xviii. Kalend. Maii,

cc. Icc. ix.

### EPISTOLA XCI. Bruxellam.

IOANNI VASÆO, V.R.

**M**VLTVM profectò Amori tuo debeo, qui illum Perillustris Patroni tui excitas, & in beneficia quoque educis. Et quæ hæc liberalitas, debentem obstringere! Admisi donum; sed animo in primis donantis captus sum: tum & ferentis. Mi VASÆ, tantusne tibi video, ut tam acriter ames? Quæ vis, quis Genius impellit? In te quidem caras elegan- tias, animi cultum, & candorem invenio. amare te ipsum posses, nisi & quæ modestus essem ac eruditus. Ergo hunc affectum in alios derivas; mètis melioris do tes in aliis laudas, quas ipse possides. Et me quidem, quia conari nescio quid, sine ingenio, sine stilo video, non amicum tantum habes, sed extollis. vin' scire, in quo victus sim? te imitor. Imò vin' scire, in quo victor sim?

sim? te tuo merito non amicum tantùm habeo, verùm extollo. Ad ipsum Patronum tuum Litteras h̄ic jingo, sed Italicas, & quales homo non Italus solet scribere. Quid metuo? Pronus in veniā erit, qui in beneficium fuit: excusabit scriptionem, qui gratiā non exspectat. ego autem eò magis debeo, quia non exspectat. Leges hasce vides? PALÆSTRÆ sunt, & ad eloquentiam animos juvenum nostrorum ducunt. Sic exercere consti-  
tui, quos doceo. Vale. Lovanii, iv. Kalend. April.  
∞. Icc. x.

## EPISTOLA XCII.

*Bononiam.*

ASCANIO PERSIO V. C.

*Græca Lingua Professori.*

**P**V RVM putumque in me affectum tuum exoscu-  
lor, & ab eo studium mei juvandi. Ita audio, se-  
dulò id te agere, ut quem amicum, etiam præsen-  
tem habeas, atque adeò collegam. Ego id recusèm? aut  
Famæ prodigus aut Amicitiæ videar; indignus utrāq;;  
nisi & præsens esse cupiam & collega. Etenim, ut Ami-  
citiam inter nos firmes, ipsam Famam participas me-  
cum, & de tuâ luce lucem nomini meo addis victu-  
ram. Vide obsecro; quasi feceris loquor: imò fecisse  
puto, quia conaris. Atque utinam Mediolani etiam  
sim ac doceam! profectò nulla desiderium meum mo-  
ra involvat. Nunc verò, ne sic subitò spernere Patriam  
videar, vocandus sum; venturus tamen, si vocer; & no-  
dū h̄ic expediā quo stringor. Genius me Italiæ capit,  
& ille illius Vrbis, imò tuus. scin, quomodo? ut obscu-  
riorem putem LIPSIVM, quòd Bononiæ non docuerit;  
infeliciorem, quòd consuetudine tuâ non usus. Voca-  
tus

tus ille humanissimè, scio, fuit; nec iuvit. nimirum ut  
hoc beneficio uteretur qui succederet. Ego sanè in eo  
quidem vincam LIPSIVM; quòd ostensurus sum, &  
extimare me Bononiensium humanitatem; & ample-  
cti velle, si Princeps meus patietur. Mentem utcunque  
meam optimo doctissimoque viro FRANCISCO BAR-  
THOLINO aperui. Cum illo age, & consilia confer. Ego  
si venero, non amicus tantum ero, aut collega, sed fra-  
ter. Vale, & scribe. Lovanii, III. Non. Novemb.

ad. Icc. VII.

## EPISTOLA XCIII.

CAROLO DUCI CROYACO

&amp; ARSCHOTANO.

**D**I VINA humanitate Tuâ erectus & animatus, lu-  
strissime & Exc.<sup>m</sup> PRINCEPS, oblivisci doloris  
damnique possū, ex optimi parétis mei obitu nu-  
per accepti. Te Mæcenate & Patrono, quia litteras tra-  
eto, beatus sum: & hoc faxo posteritas (si ex vires scri-  
ptionis meæ erūt) sciat, Patriæ, Rebus, Ingeniis velut  
salutare aliquod sidus eum Principé affulisse, cui &  
ego, favéte Musâ, placui. O magne igitur Musageta, ô  
Decus & Sol Heroū, dignū virtutibus tuis seculū cen-  
se, ut quo natus es & vivis, eo & ab eo coli ac celebrari  
sustineas. Laudes tuas & aternitatē passim aut lego  
aut audio: vitā & quæcumque in vitā admiranda sunt,  
plenè adhuc non lego. Nondum hoc cuiquam benefi-  
cium indulsistī, ut esset qui te scriberet: & fortassis ne-  
mo adhuc petiit. Ego peto, dignum posteritate con-  
diturus monumentum, tuas si virtutes omnes, totum  
te stilo si complectar. Cupio, audeo, & si non negas,

O

operi

operi manum admoveo, ut uno isto libro potissimum  
 æternus sim, qui te loquetur: imò ut istâ præcipue  
 scriptione tuus sim, quæ omnium te seculorum Prin-  
 cipem dicet. Tantam mehercle argumenti segetem  
 video, ut succumbere oneri conatus possit, nisi vires  
 affectus cultusque sugerant. Iam præparavi cala-  
 mum, & exercui, imò Historiæ destinavi. Quid in  
 tuâ sperem, in vitâ rebusque gestis Io. IACOBI MEDIL-  
 CÆI describendis expertus sum. Marchio is Melinia-  
 ni fuit, Frater PIU IV. Pontificis, virtute & fortunâ ma-  
 gnus, & clarum ævi sui decus. Expertus inquam sum,  
 ac jam duos paravil libros, quos eis paucas septimanas  
 prælo Typographus subjicit. Tacitum Sallustiūm-  
 que imitatus sum; sed ingeniosâ Curtii amoenitate di-  
 ctionem miscui, ut utilitati jucunditas jungeretur. Sed  
 ad hunc an alium modū tuam Historiam postules, co-  
 rām intelligam. Annue igitur, & te mihi, seculo, po-  
 steritati indulge: imò Vale & vive, & de nostris an-  
 nis annos habe. Lovanii, ix. Kal. Novemb. 150. XI.

## EPISTOLA XCIV.

*Venetias.*

ALPHONSO A CVEVA, apud Venetos:

*Legato Regio.*

**P**LVS humanitati, an splendori tuo tribuerem, Ex-  
 cellentissime Vir, meeum hactenus disputavi. Si  
 humanitati, in noxâ silentium meum videbatur,  
 si splendori, ipsa scriptio. Quid igitur? Confidi rati-  
 onum hæc momenta, & silere tanti per ausus fui, ut li-  
 berius scriberem: vereri splendorem, ut dignum me  
 humanitate velut præpararem. Ac sane quanta huma-  
 nitas tua sit, colligere è splendore potui. Etenim ne-  
 natales,

natales, stirpem, opes, & quicquid Fortuna tux Majorumque tribuit virtuti, omittam; pro dignitate animum habes: & munus, à quo ornari alii solent, tu ornas. Maximum Regem in magnâ Republicâ Legatus repræsentas: quantâ cum prudentiâ, gloriâque, Belgæ quoque loquuntur. Sed inter eos ego nunc Excellentia tux debeo, quod honestæ Iuvenem mentis, CORNELIVM BREDAM adsciscere in familiam tuam, & familiaritatem voluisti, quem commendatum à Clarissimo Viro Io. BAPTISTA SACCO, prodire è disciplinâ & contubernio meo sciebas. Gratiam igitur scribo, & humanitatem tuam veneror, postquam veritus splendorem fui. Nam beneficium, quod discipulo datur, Magister accipit: ut filium patremque par quoque vinculum solet adstringere. Ego vero quem formavi, filium habeo: & sic nunquam Pater commendo, quem non genui; & ut hunc affectum meum anies, imò ut benignè habeas, quem humaniter suscepisti, te per Litterarum Genium rogo. Vale Excellentissime Vir, & cultum obsequiumque admitte. Lovanii. IV.  
Kal. Mart. 100. x.

## EPISTOLA XCV. Bruxellam.

FREDERICO MARSELARIO suo S.D.

**I**VRo tibi Genium meum, mi MARSELARI; è tennis unas dntaxat à te litteras vidi, eásque postremas. Ergo in tantillo itinere humanitatis officia alienæ fraudes convellunt? Aurigæ interdum tales. Nam in tabellarios culpam nolim referre. VICTOR in primis sedulus est & fidus; quo si utaris, possis vel ipsum Mercurium spernere. Ad me vero tanquam ad

O 2 ami-

amicum & familiarem scribes: rem & operam, ubi-  
cumque opus, liberè exiges. Meus es, quamvis dis-  
cesseris: & ita in PALÆSTRA meâ hîc fuisti, ut parum  
amasse videar, nisi & absentem complector. Sic verò  
affectui curam jungo, & qui ingenio candorique tuo  
favi, qui industriam & eruditionem fovi, pari nunc  
studio de rebus sollicitus sum;

----- ut te

*Confestim liquidus fortuna rivus inauret.*

Sed quid est? Virtutem porrò sectare, & ad exemplum Majorum te compone; quantum sperare audes, Plutus adjiciet. Ante omnia, animum mihi æstima: lucrum neglige potius, quām ut Honoris tramitem non insistas. Dives eris, si bonus, si elegans, si incorruptus; si in Aulâ, quod in Academiâ fuisti. Alios nunc videbis mores, alios sermones audies: non ad gustum omnes? vide igitur tantummodo, & audi: ad animum ne demitte. Quæ ad prudentiam & rerum usum faciunt, nota:

----- non, siquid turbida Roma  
El eret, accedas, examenve improbum in illâ.

*Castiges trutinâ: nec te quæsiveris extra.*

Paucis; fac quæ præcipere hîc soleo, & BONÆ MEN-  
TIS leges suadent. Ut autem omnino tranquillus sis,  
nullâ industriâ facies: in omni viâ scrupisunt, & cùm  
maxime Sol serenus est, urit. Domi forisque invenies,  
quod perturbet malaciam animi, quod lancinet, quod  
cruciet: sed alia dissimulanda sunt, alia negligenda,  
quædam ferenda. Viceris omnia, si honestè quando-  
que recedere poteris, & gratiâ magnorum uti. Quid  
ais? LVMINEVM nostrum adfuisse? visere nos quoque  
debuit, & ostendere quanti PALÆSTRA mfaciat. Mi-  
rum,

rum, quām conspectu talium juventus excitetur! sed ille, postquam in numero nostro cōpīt ēsse, fecit quod nomen indicat; lumen intulit, & multorum animos accedit. Litteras has scripseram; ut transmittas, amicē te rogo. Sed heus, Auspicio instant, publicē verba faciam, & Exercitationes nostras commendabo: aderis igitur, & ut magis Litteras BONAM QVE MENTEM ames, nunc me audies. Laudare certē Institutum potero, quod ipse jam ornavit PRINCEPS; & quorum sermones proculcabo, malevolentiam contemnere. Ut videant etiam quod oculos torqueat, para Symbolum tuum ac suspende. Inter tam multa nomina tuum debet legi. Vale. Lovanii, Prid. Non. Ian. 100. IOC. XL.

EPISTOLA XCVI. *Mediolanum.*

I.O. AMBROSO BIFFIO suo.

**C**Vm affectu scriptam esse epistolam tuam video, mi BIFFI: nec est, quod de meo dubites, quem testari novā hīc editionē LACONISMİ volui, ut & à Belgis nomen tuum legeretur. Liber tamen in aliā mutatus formam & auctus, ut secundā curā meliores. Nam & Encomium, & Epistola, quā ad SACCVM, inserta est; ac diutius jam in Palatinā illā Porticū sermocinamur. Paraloga FARNESI seorsim exprimere, superfluum mihi yisum: nolo, cūm vici, adversario insultare: & ille, tantūm ut ingeniosus esset, Brevitatem oppugnavit. Sed ut de hac controversiā, & ratione stili, imperitus aliquis & adolescentulus futire audeat, & impudens ēsse, ridiculum est. Ejusmodi Pædagogum Falisci pueri virgis iterum ad Vrbem agant. De ROMA tuā, haud muto judicium: accu-

cata illa & ornata elocutio est, & qualem damnare alii qui poterunt, quia non assequentur. Quod agis, age; & ut publicè quam primum primam librorum Pentadem habeamus. Exacta interpunctio plurimum lucis afferet, sicubi gravior aut difficilior sententia erit, id est, ut ego interpretor, doctior. Horatii illud usurpabis, me auctore:

----- *Odi profanum vulgus Tarceo.*

In Amoris encomio & simul vituperatione non infelix fuisti. Etiam dico? te suasore amare velim; dissuasore, nolim. Non est igitur, quod locum omnino repudies: etsi alas habet iste Deus, etiam solet serpere: & ipse in tam suavi argumento Scriptor gravis est, qui humilitatem non usquequaque reformidat. Vale. Lovanii. v. Eid. Mart. &c. loc. ix.

## EPISTOLA XCVII.

**G**VILIELMO FABRICIO, S. T. Doctori,  
Censori librorum.

**Q**VASI in meis satis molestus non sim, cogor in alienis esse. Schedulam hanc accepi ab amico quodam meo, cui negare nihil possum; & rogatus sum, ut super re præsenti sententiam Doctorum Facultatis Theologicæ impetrarem. Ad te venio, Vir Eximie, & sic ad eos, quorum existimabis auctoritatem maximè valere. Quid ipse sentias exprimes: & hac humanitate augebis beneficium, ut & alii opinionem suam adscribant. Ecce quām molestus, etiam liber sum. Sic in alienis quoque facilius verecundiam pono, quām in meis: si tamen aliena sunt, quæ amici caussa ago. Tu quia me amicum habes, meū pariter putabis, quod

quod alienum est ; imò tuum quodammodo , quod meum. Et quid ni amicum habeas , quem sèpius jam tibi obstringere voluisti , ut tuum nominares ? imò quem obstringere , ut familiarius benefaceres. Ego qui beneficia àstimo , expendere in primis soleo , à quo Viro proficiscantur. Sic quicquid à te venit , magnum est , quia tu ipse magnus : & hanc magnitudinem probitas , sanctitas , humanitas , doctrina , dignitas , uno verbo , Virtus constituunt. Salve. In Muséo meo rati-  
ptim , Horā VIII.

## EPISTOLA XCVIII.

**GVIDO BENTIVOLIO**, Nuncio Apostolico,  
Archiepiscopo Rhodiensi.

**P**ECULIARE beneficium esse censeo , quod cùm ti-  
midè peterem , facile obtinui : quasi studiis meis  
tribuere prudens Humanitas tua voluerit , quod  
paucorum votis concessum est. Animadverto equi-  
dem , non minus ingenium meum placuisse , quam co-  
natus arriserat : non minus etiam pietatis & religio-  
nis , quam eloquentiae variazque eruditionis studium .  
Sed tua hæc conditio est , pæne divina ; ut qui optimus ,  
etiam doctissimus sis , magnamque dignitatem pari  
prudentiâ & facundiâ ; Illultrissimam originem omni  
virtute exornes . Sic verò iisdem litteris , atque adeò  
figillo , non modò quantum muneri ac professioni pu-  
blicæ impendā ; sed quantū Religioni tribuam , expres-  
sum est ; ut etiam quod beneficium nemo non existi-  
mat , producere velut testimonium possum & morum  
& doctrinæ . Elogium esse voluisti , quod diploma so-  
let appellari . Et quam gratiam referam ? quam unam  
possum ,

possum, ut rectè, piè, providè tam singulari favore  
utar: ut tuo beneficio doctior meliorque etiam eva-  
dam, ut facilius amoenorem hunc ingeniorum cul-  
tum promoveam, & notitiam linguarum. Hæc sane  
Religionis quædam arma sunt, & sanctis olim Patri-  
bus usurpata. Docti fuerunt, Boni fuerunt: sed amplius,  
Elegantes fuerunt & Diserti: ut magis mirandum  
sit, reperiri non ullos hodie, qui Eloquentiæ & Lin-  
guarum exercitationes despiciant. Ego quia prodeße  
publicè conor, & juventutem animare ad honesta, ad-  
versarios repperi: & hi, ut Puteano scilicet obsint, ma-  
lunt iniqui esse, quām ingenio suo non obsequi. Vti-  
nam, utinam remedium sit! utinam Summi PONTI-  
FICIS Constitutio locum hīc habeat, superiori anno  
Romæ promulgata! minus profectò in frigido hoc  
axe perversa doctrina posset, minus auderet. Exem-  
plar Constitutionis, quemadmodum curavi imprimi,  
mitto, & me imperio nutuique tuo religiose submitto.  
Vale Reverendissime & Illusterrissime Antistes, & pur-  
puream insulam ( votum meum est ) quamprimum  
cape. Lovanii, vi. Eid. Maii. 15. Ioc. xi.

### E P I S T O L A X C I X. *Mediolanum.*

PETRO CANTONIO, *Iurisconsulto.*

**S**I Litteras exigis, jure tuo facis: debeo eas, etiam  
cùm non debeo; si tamen unquam non debere  
eas possum. Humanitate, & benignitate tuum  
me fecisti, cùm negligere poteras: non verba tua  
prompta, sed auxilia fuere, quibus usus sum: usus au-  
tem propterea, quod de animo mihi tuo constaret.  
Si vota mea respicio, non usquequaque ex animi sen-  
tentia

tentiâ munus illud Scholæ Palatinæ habui: sed si amicos , si inter eos doctissimum CANTONIVM meum , dixerim peréneim mihi lactis Gallinacei rorem fluxisse. Sic plerique sunt, promissionibus prolixii; cùm ad rem venitur , jejuni: quorum hoc studium est, ut addicant operam, numquam præstent. Tuum, bone Deus, quàm ab hac labie ingenium remotum ! ut meum proclive fateri, à quibus beneficio auctus sum. Sed mitto nunc ista; te amo, & in signum affectus pauca ista verba esse volui, cum ardore scripta. De nato filiolo MONTORFANVS indicavit. O meum gaudium ! imò omen in numerâ consolatione ! Hic nunc vivat, crescat, & familiam semine pariter & virtute æternet. Te etiam lætum securúmque nunc volo, felicitatis quietisque obstatculo omni remoto. Deus fecit, recti & æqui vindicem se ostendit, adversarii tui nocituras fortassis motiones prostravit. Ego hîc nuper turbas quoque sustinui , nunc sopitas. Tam periculosum, vellere publicos exulceratorum morum návos. Non in ea tempora incidimus , ut profiteri virtutem impunè liceat. Fero, & propemodū cum furentibus insanio , ut morem seculo geram. Per ludum tamen , atque adeò per Somnium denuo Philosophatus sum: quem te librum vidisse jam opinor. ALEXANDRVM TVRRIANVM meum affectui tuo & patrocinio commendo. Lovanii, VIII.  
Kal. Maias. 100. IX.

## E P I S T O L A C.

Venetias.

CORNELIO BREDÆ suo S. D.

**V**idi deliciæ, quas promittis ? ubi CYMBA ? Ita me Deus , ut nihil æquè cupio , quàm cùm te non possim, quæ scribis, habere ! Mittes igitur , statim,

tim, statim. Etiam carmine, sed profecto alaci me alloqueris, & quale scribere hodie velint, qui in Parnaso somniant. Satis plerique habent, pedibus versum instruere, & in vincla voces cogere, ut sine viribus loquantur. Non potest esse carmen bonum, quod solutâ oratione melius non est: sic majoris Poëtam, quām Oratorem facio;

----- *sed vatem egregium, cui non sit publica vena.*

Bene est: tu ad ipsum Apollinem iter instituis, ac interim ~~περιδέξιος~~ incedis. Quām te amo mi BREDA! atque utinam fruar iterum, & candidissimum illud petus tuum invadam! Annus etiam superest: quem sic impendes rebus artibúsque, ut fuisse in Italiâ, & in illâ familiâ, aliquando gaudeas. Promovebit tandem honestissima vota tua ille heros, & ne infra Fortunam hîc ingenium jaceat, favore suo efficiet. Interim siquid est, quod minus placet, tolera; & ut securius proferas gressum, querelas amolire. Etiam ad quietem & felicitatem iter est: sed proficisci sine molestiâ non potes. Pervenisse per impedita, & scandisse per ardua, jucundum postea erit. Aulam cogita; mare est. Sed nec tu solus navigas: iisdem undis & remiges jactantur & nauclerus. Melior aut splendidior in tempestate poteris esse reliquis, non felicior: quamdiu petis portum, astuas. Ergo in futurum tota vita ratio feratur, consilia è præterito pendeant. Magnus eris, si te parem Majoribus præstas. Apud Principes illi Viros gratiosi fuere: & è sanguine ille Principum, apud quem nunc agis. Placere debes, vel solum si munus respicis. PHILIPPI Legatus est, ac tantæ magnitudinis aliquam partem administrat: imò tuus jam Patronus est, & ingenium tuum astimat. Cole & venerare virum; debebit

bit obsequio, quantum sperare Virtuti poteris. Passim  
vides, quomodo obscuri aliqui homines & meri Nat-  
tæ emergant, & insolito splendore humilitatem vesti-  
ant: bene natos doctosque Fortuna aliquando com-  
pleteatur. Ut auram captes, vela tu quoque expande:  
sic tempora, sic mores postulant. Hoc quoque cogita,  
ab Hesperiâ tibi *xipas aqualfetas* allubescere. Opes terræ  
munera sunt: Reges terrarum domini. Omnia dixi.  
Ego hinc pro more meo; adderem, provoto, si tu ad-  
esses. CONSOLATIONEM CAECITATIS à MONTORFANO  
accipies: ad hunc enim exemplaria aliquot missa.  
Vale mi BREDA, me & Virtutem æternūm ama. Lovæ-  
nij, XII. Kal. Decemb. 100. Icc. ix.

FINIS.

---

AD  
LECTOREM  
CLAVSULA.

 *V*ox olim in his sacris obtinuit, mi LECTOR,  
feci; APOPHORETA misi. nec satis: quantum  
cœnare potuisti, etiam distribui; imò quantum  
omnes capere. Omnia *exaroratæ* habet, quia infinita.  
Ac sane nefas visum, à lege & ratione Cœtenarii  
recedere semel constitutâ. Etenim quæ nuper Fercula, nunc Mu-  
nera vides: & nomine eâdem largiri manu debui, quâ numeravi?  
Dexterâ numerari Fercula; dexterâ nunc quoque Munera lar-  
gior.

glor. Numeravi, ut ille Solis periodos, qui seculum implevit; qui  
ēkatoūtaētus

----- suos jam dextrā computat annos.

Largior etiam, quasi liberalitas esse non possit, nisi fides &  
ēvangelio jungantur. Iam igitur in Convivio ne mireris Militie  
vocabula inveniri, & Centurias constitui, hic Strategus est, Rex,  
Modimperator. Quid? Centum milites unum album capit: cen-  
tum Epistolas unus liber. Sed ego maximos humanae vitae terminos  
scriptionis circulo equare volui; ut immortalitatis vota in  
plura etiam secula transmitterem. Et fortassis legentur hæc no-  
mina, cum nomina tantum erunt: victura, cum per longam an-  
norum seriem deductâ rerum memoriam, Antiquitatem facient.  
Tu LECTOR quisquis es, aut eris, fave; & qua una nunc super-  
sunt, RELIQVIAS exspecta.

S A L V E.

